



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa

Ad Mentem Præcipuorum Theologorum & Canonistarum, insertis suo loco
Propositionibus à S. Sede Apostolica novissimè damnatis concinnata. Et
Per Casus Practicos exposita

Complectens LXXV. Casus Materiam de Conscientia, Legibus, Peccatis,
Fide, Spe, Charitate, Jure, Justitia, Restitutione, Contractibus, Judiciis &
Religione &c.

Jansen, Leonhard

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Ex Tractatu De Restitutione

urn:nbn:de:hbz:466:1-39867

E X

TRACTATU

D E

RESTITUTIONE.

CASUS XXXVII.

De natura Restitutionis & ejus radice ex injusta damnificatione.

Retorius Neo-Pastor interrogatur, 1. *Quid sit restitutio?* 2. *Quæ ejus radices?* 3. *An restituere obligetur, qui desiderat vel gaudet de damno alteri illato, aut fert sententiam, quam falso putat esse injustam.* 4. *Quid de culpa lata, levi, levissima.* 5. *Quid de damno gravi cum culpa levi.* 6. *Quid si fur inadvertenter complevit materiam gravem.* 7. *Qualiter solvantur opposita.* 8. *Quid de culpa in contractu commissa.* 9. *An sufficiat sola culpa juridica.* 10. *Qualiter obligetur indirectè damnificans.* 11. *An incendens ades teneatur ad omnia in iis contenta, vel confringens vas, projiciens gemmam, &c. teneatur ad valorem incognitum? quid de occidente equum amici, quem putat esse inimici.* 12. *Quid si ex veneno incautè à te custodito moriatur inimicus diu ad necem quaesitus, vel ex furto rei levis prævideas Dominum præ mœrore moriturum vel innocentem occidendum.* 13. *Quid si fureris res Titio commissas eâ intentione*

tione

itione, ut Titio imputetur furtum, vel ponas infantem ad ados Titii, ut ipse reputetur pater. 14. An in periculo tenearis rem alienam præferre tua. 15. Quid si pereat res tibi commodata, mutuata, &c. 16. Quid de Confessario ex culpabili ignorantia suadente restitutionem, dum non est, vel contra? Pro resolut.

QUÆR. I. Quid sit Restitutio & quæ ejus radices?

R. I. Restitutio est juris læsi redintegratio, seu est actus justitiæ commutativæ, quo res iniquè accepta redditur, vel damnum illatum compensatur. Est necessaria necessitate præcepti: *red-date omnibus debita. ad Rom. 1.4.*

Dico: *justitia commutativa*; nam communis cum *D. Thom. q. 62. a. 1.* docet, ex læsione alterius virtutis vel justitiæ sive legalis sive distributivæ non oriri obligationem restitutionis; *Ratio est*; quia, ut inquit S. Doctor, *restituere nihil aliud est, quam iterato statuere aliquem in possessionem rei suæ, & in restitutione attenditur æqualitas rei ad rem, quæ ad justitiam commutativam pertinet, ideoque restitutio supponit læsionem juris rigorosi in re vel ad rem; sed quando violatur v. g. justitia distributiva, prætereundo digniorem, non violatur jus rigorosum, quia dignior habet tantum jus condignitatis seu majoris aptitudinis, nec res v. g. officium ante collationem est res sua, sed communitatis, ad quod cessat habere jus, si alteri fuerit collatum, quia non amplius manet res communitatis; obligatio autem restitutionis post violationem supponit manere jus, quod restitutionem exigat; eodem modo ex læsione justitiæ legalis non oritur obligatio restitutionis, nisi*

per accidens, ratione justitiæ commutativæ ple-
rumque conjunctæ, quatenus scilicet subditi ex
quasi contractu tenentur alere Principem, eique
necessaria pro bono communi contribuere: E-
contra Princeps ex tacito pacto obligatur con-
tributiones in bonum commune impendere,
mala reipublicæ avertere, officia dignioribus
conferre, &c. quod si non faciat, tenetur ad
omne damnum Reipublicæ emergens, non ex
justitia legali vel distributiva, sed ex commutativa
his conjuncta.

2. R. II. Radices, ex quibus obligatio resti-
tuendi oritur, bene assignantur tres: 1. Injusta
acceptio vel damnificatio, quando quis res al-
terius vel malâ fide accepit vel destruxit. 2.
Res accepta, ex hac tenetur omnis, apud quem
res aliena sive bonâ sive malâ fide existit. 3. Con-
tractus, potest enim homo se obligare ad in-
demnificandum alterum, etiam si ipse res ejus nec
detineat nec læserit; addunt alii pro quarta ra-
dice legem; nam lege positivâ sæpe jubetur re-
stituere, qui rem alterius nec læsit, nec detinet,
nec contractum iniit, ut si tuum animal læsit
meum, lege civili juberis restituere: hæc tamen
radix reducitur ad primam, cum ejusmodi lex
præsumat culpam, quæ si non intercesserit, non
erit obligatio in conscientia ante sententiam ju-
dicis.

3. QUÆR. II. Quid circa obligationem ex in-
justa damnificatione?

R. I. Ut damnificator teneatur restituere,
debet damnum à parte rei esse secutum; quo-
modo enim reparabitur damnum, quod revera
illarum non est? Hinc quamvis internè sit inju-
stus, qui de proximi damno gaudet aut illud in-
ferre

ferre intendit non secuto effectu, ad nullam tamen restitutionem tenetur; uti nec Judex ferens sententiam, quam falsò putat esse iniquam, nec ille, qui furatur pecuniam, quam credit esse alienam, cum tamen sit sua.

§. II. Debet damnum esse secutum ex ejus culpa; pro quo notandum, quòd culpa alia sit *Theologica*, quæ idem est quod peccatum & offensa Dei; alia *juridica*, quæ est omissio diligentia debita in asservanda vel tuenda re aliena. Hæc iterum est triplex: lata, levis, levissima; latam admittis, si non adhibes diligentiam, quam ejusdem conditionis homines adhibere solent, levem, si omittas diligentiam, quam adhibere solent diligentiores, levissimam, si non adhibes diligentiam, quam adhibere solent diligentissimi. Exempli gratiâ, rem curæ tuæ commissam relinquis ante fores, committis culpam latam; si relinquis in cubiculo sed non clauso, admittis culpam levem; si cubiculum clausisti, sed non tentasti an bene, admisisti culpam levissimam, si res tuæ custodiæ commissa auferatur; his addi solet culpa latissima seu dolus apertus, quam admittis, si rem furi tradas. Item latior seu dolus præsumptus, quam incurris, si rem relinquis in domo furis; culpa lata, latior, latissima plerumque conjunctæ sunt cum culpa *Theologica* gravi. Itaque.

Generaliter dico: *Qui damnum dedit, probabilis non tenetur restituere ex sola culpa juridica, sed adesse debet culpa Theologica, qua verè sit peccatum, nisi intercesserit contractus, de quo q. seq. vel ex damnificatione factus sit locupletior. Bannes. Sylvius 2. 2. q. 62. a. 4. Less. Sporer t. 2. c. 2. n. 41. Lug. dis. 8. n. 54. Honno, Girken q. 9.*

dub. 3. Ratio est, quia damnum sine culpa Theologica non est voluntarium nec moraliter imputabile, sed habet se quasi casu, vel ab amente illatum; sed nulla debetur restitutio pro damno non imputabili, casu vel ab amente illato, ergo.

¶ *R. III.* Si damnum sit in materia levi, ad obligationem restitutionis sufficit culpa venialis; si damnum sit grave, requiritur culpa Theologica gravis, vel saltem damnum plenè voluntariè illatum. Ideoque, si cum negligentia vel inadvertentia venialiter culpabili incendisti ædes, occidisti hominem, vel aliud grave damnum causasti, ad nihil teneris. *Sotus, Less. Rhedingus & Auth. cit.* Ratio est, quia tale damnum non est plenè voluntarium, & culpa venialis non est simpliciter delictum & injuria, ergo nec esse potest radix gravis obligationis: Deinde ex contractu vel voto non oritur gravis obligatio, nisi sint perfectè voluntaria, ergo nec ex damnificatione.

Nec dicas, esse obligationem restituendi aliquid proportionatum culpæ veniali. *Contra est.* Votum & contractus imperfectè voluntaria nequidem obligationem venialem inducunt, ut habet communis; ergo nec damnificatio gravis ex simili indeliberatione procedens. Deinde illa pars proportionata culpæ veniali vel est quid notabile, & tunc non erit venialis, sed mortalis obligatio delicto veniali improporcionata, vel est materia levis, & hæc determinari non poterit.

Dixi, vel saltem damnum plenè voluntarium; nam per accidens fieri potest, ut delictum sit veniale, damnum autem grave plenè voluntariè illatum, v.g. decies furatus es solidum, sed

expost prius advertis te complēse materiam gravem, peccasti tantum venialiter, attamen obligaris ad restitutionem, non tantum si solidi adhuc existant, vel ex iis factus sis ditior parcendo rei tuæ, sed etiam si casu perierint; Ratio est manifesta; nam quamprimum abstulisti primum solidum, tenebaris restituere eum, etsi casu periisset, ergo & secundum; idem est de reliquis, ergo teneris restituere omnes decem, & si non restituas, peccas mortaliter, quia scienter continuas damnum grave, ergo teneris sub mortali restituere non tam ob culpam venialem, quam quia totum damnum plenè scienter intulisti. Contra dicta.

Objici possunt Sequentia. 1. Omnis injuria formalis exigit reparationem, damnificatio gravis ex culpa levi est injuria formalis, ergo.

2. Hic unus damnum pati debet, vel Dominus domus omninò innocens, vel qui domum cum culpa levi incendit, est autem contra æquitatem naturalem, ut innocens potius patiat, quam qui aliqualis causa damni extitit.

3. Qui accipit rem alienam, prudenter præsumens Dominum non esse invitum, si ex post resciat reverà invitum fuisse, tenetur restituere, & tamen nullam culpam admisit.

4. Si occidas canem Titii cum intentione satisfaciendi, non peccas saltem mortaliter, & tamen obligaris restituere.

5. Si abstulisti aureum putans invincibiliter esse materiam levem, peccasti tantum venialiter; nihilominus, postquam cognoscis esse materiam gravem, teneris sub mortali restituere, etsi aureum amiseris; quia plenè scienter damnificasti in aureo.

6. Peccatum veniale causat pœnam purgatorii, & sæpè excommunicationem minorem, quæ sunt pœnæ graviores, quàm obligatio gravis restituendi, ergo etiam causat gravem obligationem restituendi.

R. *Ad 1.* Omnis injuria exigit reparationem damni plenè voluntariè illati, C. secus N.

Ad 2. N. Assumptum: æquitas naturalis exigit, ut res pereat Domino, nisi alius sit causa perfectè voluntaria damni, aut se ex contractu ad damnum reparandum obligarit, neutrum hic est.

Ad 3. Vel res, quam ex præsumpto Domini consensu accepisti, adhuc existit in se, vel æquivalenter, eò quòd propter eam peperceris rei tuæ, & tunc obligaris ex re accepta: si casu perit, ad nihil teneris, non ex re accepta, quia nihil ejus existit, nec factus es ex ea ditior, neque ex injusta damnificatione, quia fecisti id bonâ fide absque omni culpa, Domino, ut prudenter putabas, non invito.

Ad 4. Occidens canem Titii cum animo satisfaciendi se obligat ex interpretativo contractu ad restituendum, aliàs enim non excusaretur à mortali, infertque damnum plenè voluntariè, sicut & ille, qui scienter aufert aureum, etsi putet eum esse materiam levem. Unde patet etiam Responsio ad 5.

Ad 6. N. C. pœna purgatorii respectu gehennæ & fori alterius vitæ est quid leve, sicut & excommunicatio minor quid leve reputatur: econtrà obligatio gravis restituendi est quid grave respectu hujus vitæ & culpæ veniali improporionatum.

8. QUÆR. III. Quæ culpa in contractu vel officio

officio admissa obliget ad restitutionem? R. communior sententia docet, quod contractus cedentes in solam utilitatem accipientis, velut commodatum, obligent ex culpa levissima juridica, C. unico de commod. contractus cedentes in utilitatem utriusque, ut e locatio, ex levi, L. contractus de reg. juris, contractus cedentes in utilitatem solius dantis velut depositum, ex dolo & culpa lata, l. cit. idque ante sententiam judicis etiam in foro conscientiae, etsi nulla intercedat culpa Theologica. Rationem dant, quod hae leges sint justae, & homines saltem virtualiter intendant contrahere juxta praescriptum harum legum; ergo vi contractus obligantur ex sola culpa juridica à legibus expressa, etsi nulla adsit culpa Theologica, estque conforme aequitati naturali, ut eò exactior diligentia adhibeatur in servanda re aliena, quò plus commodi ex ea percipitur; nihilominus probabilissimum est in foro conscientiae, ante judicis sententiam neminem obligari ad compensationem damni ex sola culpa juridica, secluso speciali pacto assurationis, sed omnino requiritur culpa Theologica, uti explicatum est qu. preced. sive contractus vel officium cedant in utilitatem dantis sive accipientis aut utriusq; Sa. I. culpa n. 2. Henriq. de irregul. c. 25. Sotus l. 5. de justit. q. 7. a. 2. Ledesma. Dian. p. 2. de cont. resol. 29. Lug. d. 8. nu. 106. Esparza. Haunold. tr. 2. c. 2. nu. 250. Reiffenst. Theol. mor. tr. 8. dis. 2. n. 41. 47. § seq. Sporer n. 234. § n. 240. La Croix hic nu. 177. vocat probabilem. Ratio est 1. Homines nec tenentur, nec volunt se juxta has leges, quas plurimi ignorant, obligare; sed secundum legem naturalem, quæ solùm obligat ad repa-

randum damnum ex culpa Theologica datum; nemo enim est, qui rei sibi commodatæ, locatæ vel in pignus datæ puret majorem ex justitia se custodiam habere debere, quam ipse Dominus rei suæ adhibere solet, scilicet ordinariam & humanam pro qualitate rei magis vel minus pretiosæ, in majus vel minus commodum concessæ. 2. Hæ leges vel sunt merè pœnales, non obligantes in conscientia ante sententiam, vel in tanto rigore non sunt receptæ aut contrario usu præscriptæ. 3. Advocati, Medici, Chirurghi, Artifices, famuli alique similes obligantur ex contractu cedente in utilitatem utriusque (verè enim operam suam erga stipendium locant alteri) & tamen non tenentur ex sola culpa juridica levi, sed requiritur lata Theologica, ut fatentur plerique, ergo nec alii. Et Ratio à priori est, quia nemo in suo munere vel servitio (præscindendo à speciali promissione) censetur se obligare ad diligentiam exquisitissimam, sed tantum ad moralem & humanam, qualem adhiberet in negotio vel re propria, hanc autem diligentiam si quis advertenter non adhibeat in materia gravi, peccat graviter, & habet culpam Theologicam, ex qua tenebitur ad omne damnum, & non aliter. 4. Commodatarii, locatarii, &c. ad nihil obligantur, si res v. g. equus commodatus vel locatus pereat mero casu; sed si non intercedat culpa Theologica, quoad conscientiam, verè res casu perit; ergo. Ex dictis deduces Regulam generalem: *quod extra specialem contractum assurationis res semper pereat suo Domino, nisi perierit ex alterius culpa Theologica.* Dixi tamen ante sententiam, nam post sententiam judicis om-

om-

omnes communiter docent te obligari ad reparandum damnum ex sola culpa juridica, etiam si Theologica non intercesserit, quia sententia Judicis est justa & conformis legibus; ergo obligat etiam in foro conscientiae, eò quòd damnificatus ex sententia acquisiverit verum jus ad rem.

QUÆR. IV. Qualiter ad restitutionem obligetur, qui indirectè damnificat, seu qui alterius damnum quidem non intendit, prævidet tamen illud ad suam actionem secuturum? 10

R. Ut talis restituere obligetur, debet damnum non tantum esse prævisum, sed & actio ab ipso posita physicè vel moraliter in damnum prævisum influere; nam, si illud non ex ipsius actione, sed aliunde sequatur, ipse non est causa damni, per consequens nec obligatus illud reparare, etiam si præviderit aut etiam intenderit, v. g. occidisti Petrum, quod homicidium prævides imputandum Paulo propter inimicitias, quas Paulus habuit cum Petro, ad nihil teneris Paulo ratione imputationis, quamvis illam intenderit; quia sola interna intentio non causat obligationem restitutionis, sed Physicus vel moralis influxus in damnum; tua autem actio hoc casu non fuit in imputationem; non etiam ideò occisio Petri imputatur Paulo, quia tu occidisti, sed quia Paulus habuit inimicitias cum Petro; econtra, si usus es vestibus aut gladio Pauli, sepelivisti occisum in horto vel cella Pauli, teneris ad omne damnum ex imputatione homicidii emergens, quia actio tua seu usus vestium & talis sepultura est causa, quòd homicidium imputetur Paulo; inò, quamvis non sis causa imputationis, debes tamen resarcire illa, quæ Paulus

lus

lus propter tuum homicidium debuit restituere hæredibus Petri; cùm enim ipse loco tuî innocenter satisfecerit, teneris eum servare indemnem. Ex dictis pro praxi

11. Inferes seqq. 1. Ut quis obligetur ad restitutionem, debet ipsi damnum esse voluntarium, & saltem in confuso prævisum, v. g. incendisti ædes, teneris ad omnem supellectilem in eis contineri solitam & simul exustam, quia hanc satis in confuso cognovisti, non verò ad ea, quæ per accidens in ea existunt, & nullatenus à te sunt cognita.

2. Si confringas vas fictile, vel occidas animal pretiosum invincibiliter credens esse levis momenti, non peccas mortaliter, nec teneris plus restituere, quàm credebas valere; quia plus voluntariè non damnificasti; idem est, si projicias gemmam, quam credebas esse vitrum. Si verò dubites, an res, quam frangis vel projicis, non habeat fortè occultum aliquem valorem tibi incognitum; teneris restituere, quantum res valet, quia totum damnum tibi est voluntarium.

3. Occidisti equum, quem putabas esse tuî inimici, cùm sit amici, ad nihil teneris, non inimico, quia hunc non damnificasti, neque amico, quia hunc non damnificasti voluntariè, ex eadem causa *Tamb.* & alii apud *Viva opusc.* 1. 9. 3. a. 3. dicunt te ad nihil teneri, si volens occidere Titium, occidas Cajum: probabilius tamen videtur per ejusmodi homicidium pollui Ecclesiam, quia, etsi illud non sit formaliter injuriosum occiso, est tamen formaliter injuriosum loco sacro, an verò talis incurrat irregularitatem, dicam infra.

4. Si

4. Si scias te in ebrietate solere damna inferre, & nihilominus te inebries, obligaris inde secuta compensare, quia sunt sufficienter prævisæ & voluntaria in causa.

5. Si volens occidere feram cum levi negligentia occidas hominem; vel ex simili negligentia incautè custodisti venenum, ex quo moritur inimicus à te ad necem quæsitus; rem levem furaris ab avaro, quem prævides aut intendis ex dolore rei amissæ moriturum; probabiliùs non contrahis onus restitutionis; quia ad hoc non sufficit sola nocendi intentio, sed requiritur actio externa contra justitiam, quæ physicè vel moraliter sit causa sufficiens & efficax damni illati; atque in casibus propositis actio externa est levis, parùmque vel nihil in damnum influit; ita *Less. Sanch. Tamb. lib. 6. f. 126. P. 8. f. 322. Sporer. n. 55.* contra *Lugo & alios.* Neque obstat, quòd affectus internus sit mortaliter injustus: nam Judex putans se ferre sententiam injustam, cum tamen sit justa, est graviter injustus internè, ad nullam tamen obligatur restitutionem, quia actio externa non fuit causa damni; atque in casibus positus levis negligentia vel furtum leve non sunt causa mortis securæ, sed potiùs casus vel nimia avaritia, ergo.

6. Qui per levia furta sive ad-sive inadvertenter complevit materiam gravem, tenetur sub mortali ad restitutionem, sive ex furtis sit factus ditior, sive non: idem est, si accepit ex licentia falsò præsumpta, patet ex q. 2.

7. Si fureris res Titio commissas, prævidens aut etiam intendens, ut furtum Titio imputetur, non teneris ad damna Titio ex imputatio-

ne

ne emergentia, quia furtum tuum non est causa imputationis; non enim ideo imputatur Titio, quia tu furatus es, sed quia res Titio fuit commissa, & liberum ad eam habuit accessum; idem est, si forniceris cum amasia Titii, prævidens fornicationem Titio ob familiaritatem cum amasia imputandam, si tamen obinde Titius cogatur alere prolem tuam, quoad hoc teneris eum servare indemnem, quia innocens fecit expensas, ad quas tu obligabaris; si verò es causa imputationis ponendo v. g. infantem ad ædes Titii cum scedula, quòd Titius sit pater, &c. teneris reparare omne damnum & infamiam Titio inde secutam; sola tamen depositio infantis ad ædes Titii non est sufficiens causa imputationis, quia ea imputatio ut plurimum inde non sequitur.

8. Si habeas rem alienam ex contractu cedente in solam tuam utilitatem, & res sit pretiosior tuâ, nec possis salvare utramque, teneris eam præferre rei tuæ, ita tamen, ut Dominus teneatur tibi rem tuam viliores compensare, quia utiliter gessisti rem Domini; si tamen res tua sit alicujus momenti, & prudenter credas illam tibi non compensandam, non teneris rem alienam præponere, quia non censeris per contractum te voluisse obligare ad conservandam rem alienam cum tanto tuo damno.

9. Si equus aut alia res tibi commodata pereat casu, aut sine culpa Theologica gravi, ad nihil teneris ante sententiam; quòd si fueris in mora culpabili, equum scilicet determinato tempore non restituendo, aut ad usum non concessum adhibendo, plerique te obligant ad casum etiam fortuitum; sed etiam tunc plerumque

que adest culpa Theologica gravis, quæ si absit, non est obligatio gravis. Si rem commodatam vel locatam remittas per nuntium, qui communiter creditur fidelis, si hic rem retineat, ad nihil teneris, secus, si ejus fidelitas tibi merito debeat esse suspecta.

10. Res mutuo accepta, etiamsi casu & absque omni tua culpa pereat, tibi perit, quia per mutuum acquisieras rei dominium, res autem perit suo Domino.

11. An & qualiter ad restitutionem teneatur, qui rem alienam mutuo, commodato vel furto acceptam in extrema necessitate consumit, dixi *Cas. 32. num. 6.*

12. Confessarius ex crassa & mortaliter culpabili negligentia vel ignorantia admonens vel suadens restituere, quando non est restituendum, aut consulens non restituere, quando est restituendum, tenetur consilium revocare, & si non possit, obligatur ad omne damnum pœnitenti vel alteri ratione sui consilii obveniens; quia per tale consilium est causa injusta damni; si positivè non suadeat, sed culpabiliter negligat monere pœnitentem de restitutione, ad nihil tenetur, non pœnitenti, quia hunc non damnificavit, nec creditori pœnitentis, quia huic ex justitia non erat obligatus procurare solutionem per monitionem pœnitentis; si pœnitens interroget, an hoc vel illo casu facienda sit restitutio, & silentium Confessarii habeat pro responso negativo, sicque restitutionem debitam omittat, omninò tenebitur Confessarius de damno, quia illud tacitè consulit. *Viva Opusc.*

1. Q. 1. a. 3.

CASUS

CASUS XXXVIII.

De concausis vel cooperatoribus ad
injustam damnificationem, & de
ordine restitutionis inter
eos servando.

SIntinus pro cura examinandus interrogatur 1. *An ad restitutionem obligetur Dominus, qui coram servis querulatur, quod nullus eum vindicet de inimico, unde ipsi permoti inimicum occiderunt.* 2. *Quid si servi iam erant parati occidere, aut limites mandati excedant.* 3. *Quid si mandatum sit revocatum, aut ipsi simulent ejus ignorantiam, vel revera sint oblitii, aut putent revocationem non esse seriam.* Ibid. *Quid si Dominus mandatum revocare non possit, possit autem monere damnificandum, sed non nisi cum periculo vita vel infamia.* Ibid. *Quid si damnum in sui gratiam factum ratum habuit, aut paratum in sui gratiam occidere non impediat.* 4. *Quid si ipse mandatarius propter executionem mandati vel consilii damnum patiatur.* 5. *Quid si revocet consilium.* 6. *Aut sit ipsi utenti nocivum.* 7. *Aut volenti furari suadeat, ut potius furetur rem Pauli, quam suam, aut timens, ne sibi furetur, ostendat thesaurum Pauli, vel suadeat, ut furetur hoc die, alias furaturus cras.* 8. 9. *Quid si suo exemplo alios in damnum induxit.* 10. *Quid si plures mutuo suffragio, consilio, consensu in damnum influant, aut quis Titium condemnari faciat per unum verum & alterum falsum testem.* 11. *Quid de*

de palpone. 12. De dante recursum. 13. De participante. 14. *Quid si damnum non impediatur.* 15. *Vel famulus Domino fures non prodat.* 16. *Et prodere alteri dissuadeat.* 17. *Quid in dubio, an suum consilium sit causa damni, aut pro damno non satisfecerit.* 18. *Et seq. Quo ordine predicti omnes restituere teneantur?* 21. *Et seq. Pro resolut.*

QUÆR. I. Quid circa concausas vel cooperatores ad injustam damnificationem?

R. I. Non solum, qui damnum principaliter intulit, sed & omnis, qui ad inferendum movit vel cooperatus est, ad restitutionem obligatur, uti certum est ex propositione 39. ab Innoc. XI. damnata: *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.* Nec obstat, quod damnum absque eo causatum fuisset; nam sufficit, quod quis de facto in damnum physicè vel moraliter influat; tunc enim est vera causa damni, per consequens obnoxius restitutioni, ut contra Palud. Anton. Sylv. Nav. Tolet. tenet Cajet. 2. 2. q. 62. a. 7. Sotus, Medin. Valent. Rebel. Vasq. de rest. c. 9. dub. 1. & alii communissimè &c. Modi autem, quibus quis cooperari potest alterius damno, ex D. Thom. q. 62. a. 7. sunt novem his versibus expressi; *Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus, participans, mutus, non obstans, non manifestans.* Sex primis modis concurritur positivè per actionem physicè vel moraliter influentem, reliquis tribus negativè damnum non impediendo. Et quidem

R. II. Ratione *Jussionis* seu mandati obligatur restituere, quisquis expressè vel tacitè man-

C c

da-

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. I.

davit alteri inferre damnum, sive sit Superior sive æqualis, &c. expressè mandat, qui verbo verò scripto jubet suo nomine damnum fieri, tacitè mandat, qui id clarè non asserit; significat tamen sibi placere, ut damnum inferatur, ex quo alii moventur ad damnum inferendum; ut si Dominus coram famulis suis dicat, quis me de tali vindicabit? quantum deberem illi, qui talem spoliaret, occideret? &c. Excusatur tamen à restitutione mandans.

3. 1. Si mandatum non sit traditum executioni, quia tunc in effectu nullum damnum est illatum.

2. Si mandatarius ad inferendum damnum aliunde paratus per mandatum (idem est de consilio) nec motus, nec confirmatus fuerit, nequidem ad damnum celerius aut animosius inferendum; aliàs enim teneretur saltem, in quantum interfuisset, damnum non ità celeriter & animosè fuisse illatum. *Azor, Rebel. Vasq. n. 6. Bannes q. 62. a. 7.* Ratio est, quia ejus mandatum vel consilium tunc in damnum non influit, etsi ipse peccet in affectu damnum, quantum est de se, intendendo. Excusatur

3. Si mandatum verbo, scripto vel nuncio fuerit efficaciter revocatum, ità ut omnibus mandatariis mediatis & immediatis innotuerit, quia, si tunc pergant damnum inferre, non moventur auctoritate seu voluntate mandantis, quam sciunt non ampliùs existere, sed malitià proprià; idem est, si mandatarii limites mandati excedant, ad illum excessum non tenebitur mandans, nisi eum vel ejus periculum præviderit, qualiter prævidisse præsumitur, si periculum actioni mandatæ utcunq̃ sit conjunctum, v. g. jussi

jussi percutere & vulnerare, occidunt; ex mandato incendendi horreum simul conflagent ædes & stabula vicina, etsi contra voluntatem incendientium, quia volens causam censetur etiam voluisse effectum, quem novit ex tali causa plerumq; sequi. Si mandatarius putet revocationem mandati non esse seriam; aut revocationis oblitus in vim mandati damnum exequatur, mandans adhuc tenebitur ad restitutionem, quia ejus autoritas perrexit movere mandatarium ad damnificandum. Si mandatum revocare velis, sed non possis, teneris monere damnificandum etiam eum æquali tuo damno, ut sibi caveat; si nec hoc possis, adhuc teneris ad damna ex tuo mandato secuta, sicut, si voluntariè injecisses ignem in tectum vicini, quem mutatâ mente velles restinguere, sed non posses.

4. Si damnum in suâ gratiam jam factum solum ratum habeat, ad nihil tenetur, nisi in quantum ex furto vel rapina factus est ditior, *Ratio est*, quia nec Physicè, nec moraliter in damnum influxit, utpote jam ex toto positum. Neque obstat Reg. 10. juris in 6. quæ dicit: *ratihabitionem retrahit & mandato equiparari*, nam intelligitur tantum de casibus in jure expressis, qualiter non est præsens.

5. Si aliquis absque tuo mandato velit in gratiam tuâ aliquem mutilare, spoliare, &c. Mulier ex te prægnans velit prolem occidere, si id scias, nec impedias, cum possis, *Molina* simpliciter te obligat ad reparanda damna, sed alii meliùs distinguunt cum *Laym.* vel enim alter scit suum malum propositum in tuâ gratiam conceptum esse tibi cognitum, tunc si non impe-

dias, cenferis illud gratum habere, & tacitâ approbatione movere; fecus fi ille ignoret te hoc fcire, tunc enim tua approbatio ignorata, quamvis fortè exiftat, ad damnum movere non potest. Ideoque ad nihil teneberis, nifi ex officio vel contractu obligeris damnum impedire, eò quòd dampnificaturus fit tuus fubditus, filius, fervus, &c.

5. 6. Quid fi mandatarius propter executionem mandati mei damnum patiatur, vulneretur, mulctetur, in rotam agatur? *q.* Quamvis communior & verior fit fententia, quòd mandans debeat mandatarium fervare indemnem, nifi aliter fit conventum, vel pretio fit conductus, quia mandatarius non fuo, fed mandantis nomine & periculo damnum infert; nihilominus probabile eft, quod cum *Tamb.* docet *Sporer c. 3. n. 14.* fi mandatarius fponte & liberè mandatum accepit, maximè fi pretium accepit, tunc mandantem (idem eft de confulente) ad nihil teneri, quia volenti non fecit injuriam; fi verò vi vel fraude ad dampnificandum impulit, non tantùm tenetur dampnificato, fed & mandatario ad omnia damna, quæ prævidit, vel tanquam communiter conjuncta prævidere debuit, &c. quia hæc omnia funt mandanti vel confulenti faltem indirectè voluntaria.

6. *q.* III. *Ex Confilio* tenetur omnis, qui rogando, monendo, promittendo, animando, motivum aut modum proponendo eft caufa damni, nifi confilium ita efficaciter præviè fit revocatum, ut non pergat ampliùs movere, unde, fi dedifti confilium v. g. oftendifti viam & modum, fuafifti medium utile aut motiva, quæ non obftante tuâ revocatione pergunt movere ad

ad inferendum damnum, teneris restituere, quia consilium tuum non est efficaciter revocatum, & revera adhuc influit in damnificationem; si nudè suavisisti vel rogasti, aut consilium tuum fuit falsum vel inutile, & ante damnum illatum revocasti, & ostendisti esse tale, es liber à restitutione, quia desit ratio motiva, & si talis pergat damnificare, non à tuo consilio, sed à sua malitia movetur. Hinc

Resolvuntur sequentia. 1. Si consilium tuum 7.
sit nocivum ipsi utenti vel petenti, ad nihil teneris, nisi sit fraudulentum juxta Reg. juris 62. in 6. *nullus ex consilio, nisi fraudulentum sit, obligatur.* Ratio est, quia liberè petit & sequitur alienum consilium, & damnum infert non alieno nomine ut mandatarius, sed proprio, ergo seclusâ fraude nulla ei fit injuria, fraudem autem committere censentur, & per consequens ad reparanda damna ex suo consilio secuta tenentur consiliarii Principum, advocati, medici, confessarii, chirurgi, &c. qui ex officio præferunt scientiam muneri suo congruam, quam tamen non habent; si consulens dicat se non esse satis certum de veritate consilii, vel alter sciat ipsum esse imperitum, ad nihil tenetur, si alter ejus consilio temerè usus damnificetur.

2. Semper est obligatio resarciendi damnum, quod utens tuo consilio infert tertio, ut si Cajus te consulente opprimat virginem, vulneret inimicum, &c. quia hoc damnum injustè & iniuri patiuntur ex tuo consilio: ad quid obligetur Confessarius malè consulens vel omittens pœnitentem de restitutione monere, dixi *Cas. preced. n. 16.*

3. Qui furi parato auferre 100. à Petro, sua 8.

det tantum auferre 50. vel parato auferre Petro & Paulo, suadeat, ut tantum auferat Petro, ad nihil tenetur; quia non causat damnum, sed tantum impedit ex parte, cum non possit ex toto.

4. Qui volenti furari vel occidere nunc, animo impediendi suadet, ut fiat post dies 8. bene facit, quia utiliter gerit rem Domini. Econtrà qui volenti occidere vel furari post octo, suadet, ut occidat vel furetur nunc, plerumque peccat, quia damnum impediti, & voluntas malefactoris interim mutari potuisset; ideoque pro rata spei tenetur ad restitutionem.

5. Si volenti à Petro furari majus, suadeas, ut à Paulo furetur minus, item si furi indifferenti ad furandum à Petro vel Paulo suadeas, ut furetur à Paulo ditioze, probabilius peccas contra justitiam, tenerisque ad restitutionem, quia Paulus æquè habet jus in suum minus, quàm Petrus in suum majus.

9. 6. Si fur seriò minetur mortem, vel auferre meum thesaurum, nisi ostendam alienum, licitè id facio, quia ostensio se indifferenter habet ad furtum, & est gravis causa ostendendi; si fur velit sibi ostendi determinatè meum thesaurum, non licet ostendere alienum, quia est tantum determinatus ad auferendum meum, si ergo ostendam alienum, sum causa damni illati tertio, secus, si indifferenter se habeat ad auferendum thesaurum quemlibet, vide dicta Cas. præc. à nu. 10.

10. 7. Sed quid, si aliquem meo exemplo in damnum induxi? R. Si tuo exemplo movisti Cajum ad actionem Cajo damnosam, v. g. ad lusum noxium, ad furtum, propter quod mulctatur,
ad

ad duellum , in quo vulneratus est , ad nihil teneris Cajo , quia Cajus in actionem periculosam liberè consentit. Si verò Cajus tuo exemplo motus sit ad inferendum damnum tertio v. g. ad percutiendum , mutilandum vel spoliandum Titium , probabiliùs teneris in defectu Caji resarcire hoc damnum. *Ratio est*, quia Titius non consentit , & habet jus , ut sine gravi causa non ponatur actio , ex qua alter moveatur ad inferendum sibi damnum , idque est conforme propositioni 39. ab Innoc. XI. damnatæ sup. n. 1. de Theologo , Advocato vel Medico , qui docuit noxia principia , dicam Cas. 42. n. 3. ubi n. 5. dicam de eo , qui alium fraudulenter à Religione abstraxit.

§. IV. *Consentiens* hic vocatur , qui suâ approbatione causa est , ut damnum fiat , ut si quis consentiat vel subscribat tributo injusto , causæ vel electioni iniquæ necdum sufficienter conclusæ ; si jam plenè conclusa sit , ejus approbatio est quidem peccatum injustitiæ internum , non tamen inducit onus restitutionis ; quia damnum non causat , sed supponit.

Si plures mutuo suffragio , consilio , consensu , cooperatione damnum inferant , aut ad inferendum se mutuo animent , singuli tenentur & quidem in solidum , si quilibet ita influat , ut cujusvis influxus se solo sufficiat ad totum effectum , ut si quilibet infligat vulnus lethale , plures consulentes suggerant motivum plenè persuadens , plures admoveant faculam ad horreum incendendum , &c. aut si singulorum influxus non sit quidem se solo causa sufficiens ad totum damnum , est tamen causa necessaria , ita ut sine eo damnum non fieret , ut si septem vota sint necessaria ad

iniquum tributum, ad conde mnandum Innocentem, vel quatuor auferant cistam, quam tres ferre non valuissent, cum enim tunc quilibet seorsim possit & debeat impedire totum damnum negando suum concursum, singuli concurrendo sunt causa totius damni.

Econtra si cujuslibet influxus se solo non sit sufficiens ad totum damnum, neque necessarius, ut si milites injustè devastent urbem, plures studiosi diripiant vineam, singuli probabiliter non tenentur ad totum damnum, sed tantum pro sua rata & modo influendi, nam quamvis mutuâ præsentiâ se quodammodo animent, tamen singulorum concursus se solo non erat sufficiens causare totum damnum, & totum damnum absque hoc particulari influxu à reliquo cætu illatum fuisset. *Lessius, Lug. à n. 87. Sporer nu. 68.* vocat sententiam communissimam. *Ratio est*, quia mensura restitutionis hic est influxus in damnum, idèoque non debet esse major obligatio, quàm sit influxus; cum ergo influxus cujusvis militis vel studiosi se solo non sit sufficiens neque necessarius ad totum damnum, non est ratio, cur singuli totum damnum in defectu aliorum reparare obligentur. Si Titium de vero crimine accusas per unum verum & alterum falsum testem, teneris Titio restituere totum damnum, quod inde sequitur, cum enim unus testis non sufficiat ad Titium judicialiter mulètandum vel condemnandum, secundus testis erit causa, quòd Titius iniquè, id est, crimine plenè non probato condemnetur.

12. R. V. *Palpo* dicitur, qui adulando, laudando, instigando movet alterum ad inferendum damnum, v. g. impropèras offenso, quòd se non

non defendat; laudas eos, qui injurias animosè vindicant, &c. teneris ad damna ex tua laude secuta.

§. VI. *Dans recursum* vocatur, qui damnifican- 13.
 cantem recipiendo, protegendo, res furis custodiendo vel emendo, aut quomodocunque patrocinando est causa, quòd damna continuentur vel non resarciuntur, nisi fortè id fiat ex gravi metu, ex quo capite sæpè excusantur caupones & alii in locis solitariis habitantes, qui metu mortis fures, latrones, &c. recipiunt.

§. VII. *Participans* seu cooperans injustæ 14.
 damnificationi, v. g. furi apportando scalas, aperiendo fenestras, servando excubias, exhibendo instrumenta, &c. tenetur ad restitutionem damni inde secuti, alio modo dicitur participans, qui prædam cum fure dividit, sed hic, si aliter in damnum non influat, tantùm tenetur ex re accepta, in quantum participavit.

§. VIII. Omnis negativè damnificans seu non 15.
 impediens grave alterius damnum, cùm facile possit, peccat quidem mortaliter contra charitatem, ad restitutionem tamen non obligatur, nisi ex justitia, hoc est, ex officio vel contractu damnum impedire fuerit obligatus. *Ratio est*; quia non ex læsione charitatis, sed solius justitiæ oritur obligatio restitutionis, ut patet ex dictis Cas. 37. n. 1. Quare *mutus* hic dicitur, qui ante damnum illatum non clamat, non monet, &c. *Non ob- stans*, qui, quando actu fit damnum, non impedit, non defendit vel custodit rem sibi commissam. *Non manifestans*, qui post damnum illatum non admonet, non revelat, &c. Cùm tamen omnes ex officio, contractu vel stipendio ad hoc obligentur; hinc

16. Resolv. seq. 1. Principes, Magistratus, &c. qui non impediunt damna, quæ civibus à latronibus aliisque perniciosis hominibus inferuntur, Statûs Assessores, Consiliarii, Canonici, qui tacendo vel se absentando non impediunt, cùm possunt, tributum, causam vel electionem iniquam, administrator, tutor non avertentes damna Ecclesiarum vel pupillorum, custodes portarum, sylvarum, telonarii, si non invigilent, deferant vel detineant eos, qui merces prohibitas urbibus inferunt, qui in sylvis ligna cædunt, vectigalia defraudant, omnes hi tenentur ad damna è suo neglectu emergentia, quia ea ex officio vel stipendio impedire obligantur; *sed petes*, an custodes vel similes ministri non manifestantes transgressores etiam tenentur ad mulctam, quam hi deberent pendere Fisco? *æ.* Negativè, quia Fiscus ante judicis sententiam nullum jus habet ad mulctam, & ministri ex officio tantùm impedire tenentur damnum in re sibi commissa, non autem per mulctam locupletare Fiscum. *Tamb. Lug. d. 37. n. 101.* aliud est de ipso iudice aut Fisco, si mulctam ab ipso reo convicto exigere negligant, quia ex officio exigere tenentur, etsi oppositum, quod tenet *Lug. n. 97.* etiam sit probabile.
17. 2. Si famulus, cui custodia rei non est specialiter commissa, advertat conservos ex ea furari, & taceat, non tenetur ad restitutionem, secùs, si advertat furari extraneos. *Ratio est* communis persuasio & consuetudo, vi cujus censetur servo semper commissa custodia rerum Domini respectu extraneorum, non verò respectu conservorum, nisi hi cum re furtiva vellent fugere, tunc enim habentur quasi extranei. *Lug. à n.*

à n. 105. ubi addit tunc famulo rem specialiter committi, si detur clavis v. g. cistæ, cubiculi, cellæ, granarii, &c.

3. Qui suadet Titio non obligato ex justitia, sed ex charitate volenti impedire damnum, ut non impediatur, ad nihil tenetur, quia non magis tenetur, quam Titius, sed Titius non obligatur reparare damnum permissum, quia illud ex justitia impedire non tenebatur, ut supponitur, ergo.

QUÆR. II. Quid in dubio, an damnum quis 18.
causaverit, vel pro damno illato satisfecerit?

R. Generaliter hinc valet: *In dubio melior est conditio possidentis*, vide Cas. 2. n. 5. unde, si præviâ diligenti inquisitione dubites 1. An damno injusto sis cooperatus, an damnum causatum sit grave vel leve, an res tibi commodata, elocata, concredita, &c. tuâ culpâ perierit, potes judicare pro tua libertate & innocentia, quæ sunt in possessione, & delicta non præsumuntur. *Sylvest. Medin. Salon. 22. q. 62. a. 7. Lugo d. 18. num. 14. Bardi de consc. disc. 6. §. 10. § 11.*

2. Si mandasti vel consulisti furtum, quod etiam secutum est, sed dubitas, an ex tuo consilio, teneris saltem pro rata dubii, quia possessio est contra te, & præsumptio pro efficacia consilii, nisi aliunde pro te sit præsumptio vehementior. Idem est, si consensisti tributo vel causæ iniquæ, & dubitas, an ante tuum consensum causa jam per majora vota fuerit sufficienter conclusa. *Molin. Sanchez. Lug. d. 19. num. 21.*

3. In dubio, an res, quam teneris restituere, sit materia gravis vel levis, peccas mortaliter, si non

non restituas, quia exponis te periculo iniquè detinendi rem alienam gravem, & Dominus habet jus repetendi rem suam, sicuti est, sive magnam, sive parvam.

19. 4. In dubio, an res, quam iniquè consumpsisti, apud Dominum fuisset melioranda vel plus valitura, quamvis delictum tuum sit certum, non teneris tamen, nisi pro rata dubii, quia Dominus nec certum jus habet ad istum valorem, nec ejus possessionem, cum dubium sit, an Dominus illum unquam fuisset percepturus, nec pro jure dubio tantum restitui debet, quantum pro jure certo.
Dicast. Sporer, Leseck p. 227.

5. In dubio, An ex re aliena bonâ fide consumpta sis factus ditior, ad nihil teneris, quia est possessio pro libertate, usque dum constet rem alienam apud te adhuc æquivalenter existere,

20. 6. Si debitum sit certum, & probabiliter tantum judicas te satisfecisse, saltem teneris ad arbitrium viri prudentis pro rata probabilitatis, ut probabiliter docent *Laym. Dian. Tamb. l. 1. c. 3. §. 7.* eò quòd pro jure incerto non debeat tantum solvi, quantum pro jure certo: nec obstat, quòd videaris esse in possessione pecuniæ, quâ te non tenearis spoliare pro solutione probabiliter tantum debita, nam etiam lex solvendi seu debitum est in certa possessione, cui non videtur planè satisfieri per solutionem tantum probabilem; & licet debitor possideat pecuniam solvendam, id parum refert, dubium enim non versatur immediatè circa ipsam pecuniam, cujus sit, sed circa jus petendi debitum, an sit, & ideò dicitur creditor possidere, quia, cum debitum extiterit, & non constet esse extinctum,

Extum,

atum, creditor possidet durationem debiti; quod clarè constat à pari, nam qui ex pœnitentia vel voto debebat eleëmofynam dare, & dubitat, an dederit, etiam ipse possidet pecuniam, & tamen in ipso dubio non stat possessio pro ipso, sed pro obligatione pœnitentiæ vel voti, quæ semel exitit, & non probatur extincta; ergo similiter in præsentî Casu non possidet debitor, sed debitum seu obligatio solvendi, quæ semel exitit, & non probatur extincta, V. dicta Cas. s. à n. 18. hinc, si hæredes Titii in libro Titii reperiant capitale à Cajo susceptum esse solutum, è contra hæredes Caji adhuc inveniant chyrographum, neque debitum in libris extinctum, hæredes Titii debebunt iterum solvere vel totum, vel factâ compositione arbitrio viri prudentis pro ratâ dubii, quia debitum est certum, solutio autem incerta.

QUÆR. III. Quo ordine damnificatores injusti restituere teneantur? 21.

R. I. Ante omnes tenetur restituere, qui rem alienam in se vel in æquivalenti, eò quòd ex ea factus sit ditior, detinet, vel malâ fide consumpsit; Ratio patet, quia adest titulus rei acceptæ, quæ est radix prima & fortissima restitutionis.

2dò. Loco restituere obligatur, qui fuit causa principalis & Physicè executiva damni, id est, qui nemine mandante nomine proprio damnum intulit.

3. Si plures ad damnum concurrerunt, ante reliquos tenetur mandans, quia hic est causa principalis, & ejus nomine vel gratiâ illatum est.

4. In defectu causæ principalis, id est causâ principali nolente vel non valente restituere,

tene-

tenetur consulens, consentiens, recipiens & adjuvans, absque ullo tamen ordine, quia hæ causæ non sunt sibi subordinatæ, nec una agit nomine alterius, nec obligantur æqualiter, sed plus vel minus, prout una magis vel minus alterâ in damnum influxit; ita quoad rem ferè omnes. *Ratio est*, quia, qui fuit principalior & potior in damnificando, etiam debet esse potior in restituendo, sed, qui Physicè & nomine proprio damnum intulit, magis & principalius damnificavit, quàm qui tantum cooperantur & nomine alieno tanquam instrumenta damnum causant; ergo.

5. Demum in defectu causarum positivè cooperantium tenentur causæ negativæ, idque sine ordine, quia in damnum propriè non influunt, sed purè non impediunt, nec una per se subordinatur alteri. *Ex dictis*

22. *Inferuntur sequentia.* 1. Si causæ minus principales consumplerunt vel participarunt ex re aliena, tenentur primò, & ante causam principalem restituere, quantum participarunt, quia eatenus tenentur ex re accepta, quæ est prima radix restitutionis, unde his restituentibus causa principalis, quæ nihil ex præda participavit, est libera, ita ut, si coacta fuerit loco aliarum solvere, hæ teneantur satisfacere principali, quæ succedit loco Domini. De cætero, quando causæ minus principales nil ex re aliena participarunt, tenentur tantum in defectu principalis, quâ restituyente sunt liberæ, aut, si coactæ fuerint aliquid exsolvere, illud refundere tenebitur principalis seu mandans, quia egerunt tanquam instrumenta nomine mandantis, qui propterea tenetur eas servare indemnes. *S. Thom. q. 7. ad. 2.*

2. Si

2. Si plures communi consilio vel consensu
damnum inferant, & unus solus totum restituat,
tenentur cæteri contribuere suam partem. Ratio
est, quia sunt socii injustæ damnificationis, ergo
& debent esse socii restitutionis, quòd si aliqui si-
mul teneantur ex re accepta, in tantum primò &
soli tenebuntur.

3. Si mandans seu causa principalis sit dolo
circumventa, ùt si Consiliarius Principi non in-
telligenti suadeat tributum aut bellum injustum,
Advocatus clienti suo rudi iniquum processum;
solus Consiliarius tenetur restituere utpote sola
& principalis causa damni, non verò Princeps
vel cliens, qui malum consilium bonâ fide sunt
executi. Et universaliter omnes, qui ex officio
tenentur bene consulere, ùt Consilarii, Medi-
ci, Chirurghi, Advocati, Confessarii, &c. Si ex
crassa ignorantia seu ex defectu scientiæ ad offi-
cium suum requisitæ, malè consulendo, causam
præbeant damni spiritualis vel temporalis; obli-
gando v. g. ad restitutionem, suadendo contra-
ctum iniquum, &c. tenentur ad omne damnum
sive consultantis sive tertio illatum, qui verò bonâ
fide secuti sunt, ad nihil tenentur, nisi in quan-
tum facti sunt ditiores: væ igitur hinc supinæ mul-
torum negligentia!

4. Si remittatur debitum principali, etiam re-
mittitur minùs principalibus, quia hi non obli-
gantur, nisi in defectu principalis, & illo solvente
sunt liberi; ergo etiam sunt liberi, si illi debitum
remittatur: econtra, si debitum remittatur uni
causæ minùs principali, hoc ipso non re-
mittitur principali aut cæteris minùs
principalibus ob rationem
oppositam.

CASUS

CASUS XXXIX.

De impediente alterius bonum.

TUbenius timens 1. Ne Cajus sibi beneficium vel hereditatem praeipiat, tum falsa, tum vera, sed occulta ejus crimina exaggerando aperit. 2. Sub prae-textu, quod sit indignus vel minus dignus. 3. 4. Egroto in favorem Caji testamentum facere volenti persuadet non esse vita periculum, & Notarium haberi non posse. 5. Amicum causam Caji recommendare volentem convivio & blanditiis in suam partem trahere, abundantiore potu ejus secreta expiscari, & tamdiu detinere nititur, usque dum opportunitas recommendandi prae-tereat. 6. Ex litteris Caji injustè apertis videt Cajum & Titium habere spem promotionis, eandemque utrique praeipit. 7. Tempore famis negat se habere frumenta, quae vendere possit, ut civis accrescente fame ea cogantur solvere majori pretio. 8. Ut evadat multam, crimen semi-probatum negat, & innocentiam per falsos testes probat.

1. QUÆR. Qualiter ad restitutionem obligetur alterius bonum impediens? R. Qui impedit rationabiliter invitum à consecutione boni ex justitia commutativa debiti, seu ad quod habet jus in re vel ad rem, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem damni illati, quia lædit jus rigorosum alterius, sive ex parte modi impediendi intercurrat vis aut dolus, sive non. *D. Thom. a. 2. ad 4.* Si verò bonum ex justitia non debeat, velut eleëmofyna, beneficium

ficium & quodlibet donum gratuitum, impediens ad nihil tenetur, quia nullum jus lædit, nisi intercurrat fraus, mendacium, detractio, vis vel injustus metus, &c. tunc enim tenebitur restituere pro rata spei, quâ alter bonum erat consecuturus. Ratio est, quia, quamvis talis non habeat jus ad bonum indebitum, quilibet tamen habet jus, ne vi, fraude, detractioe à bono aliàs indebito impediatur: Ecce regulam generalem, ex qua pro resolutione Casûs

Deduces sequentia. 1. Si absque vi, fraude, 2. mendaciis vel detractioe facias, quominus aliquis scribatur hæres, ad beneficium eligatur vel præsentetur, peccas quidem mortaliter contra charitatem, si id facias absque justa causa, non tamen contra justitiam, quia non habet jus, ut scribatur hæres, neque dignior ante electionem vel præsentationem jus rigorosum habet ad beneficium, nisi dignior judicatus fuisset in concursu, tunc enim haberet jus ad rem, econtra, si hos impediatis vi, metu vel fraude, teneris pro rata spei; ut si testatorem volentem disponere in alicujus favorem falsâ spe vitæ distrahas, aut si maritus minetur in casu reconvalescentiæ durius habere uxorem, nisi hoc vel illo præterito testetur in suum vel suorum gratiam, vel vocaturus Notarium simul, se eum reperire non potuisse, ne hic vel ille scribatur hæres, &c.

2. Si hæredem scriptum impediatis, quominus mortuo testatore adire possit hæreditatem, aut electum, quominus confirmetur, vel præsentatum, quominus ei collatio fiat, aut confirmatum à capienda possessione, etsi vis vel fraus non intercurrat, ad restitutionem teneris,

D d

quia

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. I.

quia omnes hi habent verum jus in re vel ad rem.

3. 3. Si zelo bono aliquem impedias à bono injustè vel vitiosè conferendo v. g. impedis, quò minùs Petro verè indigno vel Simoniaco beneficium vel officium conferatur, aut, ne consequatur legatum vel hæreditatem injustam, vera ejus crimina etiam occulta ad illum finem collatori vel testatori, quantum opus est, manifestes, non peccas, nec restitutioni es obnoxius, quin potiùs laude dignus, quia maximè interest Ecclesiæ & Reipublicæ beneficia & officia non conferri indignis; quòd si id facias ex odio vel vindicta, cum vi vel fraude, peccas quidem contra charitatem, imò & contra justitiam, si plus, vel coram pluribus, quàm opus est, eum infames, ità ut tunc tenearis ad restitutionem famæ, non tamen teneris ad aliquid pro bonis indebitis, quia ei sinè peccato nec conferri, nec ab ipso acceptari poterant.
4. 4. Qui conferunt vel faciunt conferri beneficia vel officia scienter indignis, vel notabiliter minùs dignis, peccant, & ad restitutionem tenentur, non quidem dignis vel dignioribus, qui propriè jus non habent, sed Ecclesiæ vel Reipublicæ pro damnis secutis, huic enim collatores ex officio vel quasi contractu obligantur officia & beneficia dare dignioribus, ut dixi *Cas. 28. n. 2. & 3.* Hinc, qui Episcopum determinatum ad conferendum beneficium digniori etiam sinè fraude, solo suasu vel precibus inducit, ut conferat illud sibi vel alteri notabiliter minùs digno, peccat graviter cum obligatione satisfaciendi Ecclesiæ pro damno inde secuto, quia avertit Episcopum ab eo, quod ex justitia face-
- re

re tenebatur, quod à potiori tenet, si Beneficium conferatur planè indigno; quo casu primo loco restituere tenetur officium vel beneficium indignè obtinens unà cum fructibus indignè perceptis, secundo loco collator, tertio suavor vel permotor. Econtra si etiam per vim vel dolum præterito digno officium vel beneficium dari facias digniori, ad nihil teneris, quia procuras, ut collator faciat, quod in conscientia facere tenetur.

5. Qui vi, fraude, mendaciis, detractionibus impediunt mercatores à lucro, pauperem ab eleëmofyna, famulum à servitio v. g. dicendo de mercatore, quòd utatur iniquo pondere vel mensura, de paupere, quòd non sit verè pauper, de famulo, quòd sit negligens, &c. omnes hi tenentur reparare damna emergentia.

6. Si Servus vel Procurator Caji mercede conductus nomine Caji beneficium petere vel litteras deferre debeat, peccas contra justitiam & pro rata spei obligaris Cajo satisfacere, si hos etiam nudis verbis, precibus, suasu, vel convivio abstrahas, quo minùs beneficium petant vel litteras deferant, quia causa es, ut hi omitant, quod facere ex contractu obligantur; ergo teneris ad damnum Cajo obinde emergens. Econtra si amicos gratis causam Caji promoventes convivio, blanditiis vel aliter absque fraude in tuas partes trahas, aut etiam bonis verbis vel hilariore potu animi secreta, quæ ex justitia reticere non obligantur, expisceris, non peccas, quia non uteris vi vel dolo, & æquè jus habes eorum patrociniò fruendi, quàm Caju; si verò tu eos dolosè inebries, & detineas ut tempus opportunum negligant, & tu interim officium

vel beneficium præripias, teneris pro mensura probabilitatis & spei, quam habebat Cajus, si ejus amici non fuissent impediti.

6. 7. Si ex litteris Caji injustè apertis videas eundem habere spem promotionis, litteras verò tempestivè consignatas eâdem occasione ad Cajum destines, eumque ob haustram inde scientiam absque fraude prævenias. *Less. l. 2. c. 12. à num. 130. Dian. p. 3. t. 6. ref. 33.* dicunt te ad nihil obligari, quia injusta litterarum apertio se remotè habet, & non hæc, sed tua solertia impedit Cajum promotionem; sed probabilius est, quòd obligeris pro rata spei, quia iniquè acquirendo scientiam secreti es vera & injusta causa impeditæ promotionis; idem est, si ex litteris Caji injuriosè apertis videas pretium certarum mercium esse augendum, & propterea Cajum in coëmendis ejusmodi mercibus prævenias; si Cajus litteras laceravit & abjecit, tu verò collectis fragmentis eas legeris, *Sylv. Laym. Sporer n. 208.* alique negant, te ad quidquam teneri, quia Cajus litteras suas habuit pro derelictis; sed verius est oppositum, nam hoc ipso, quòd litteras laceret, secretum earum non habet pro derelicto, sed potius illud abscondere voluit, ideo enim eas comminutas & non integras projecit, ne secretum prodatur.

8. Si ex litteris Caji injustè referatis videas Sempronium habere spem promotionis, & exinde eandem præripias, probabilius ad nihil teneris, quia illa referatio non fuit injuriosa Sempronio.

7. 9. Quid si vendens frumenta contra leges patriæ simulet se vendere pannos, vel neget se habere frumenta, usque dum creverint in pretio,

ura
si
eas
ve-
ad
en-
12,
t te
rtio
ria
lius
quē
ista
ex
er-
rea
ve-
ve-
ym.
iam
de-
plo,
abet
luit,
pro-
deas
ex-
l re-
em-
eges
t se
pre-
tio,

tio , ita ut obinde cives ex post cogantur fru-
menta cariùs emere , an inquam talis teneatur
hoc damnum reparare ? Videtur enim suo dolo
aut mendacio hujus damni esse causa. &. Proba-
biliùs non teneri , quia cives non habebant spem
ista frumenta viliori pretio emendi , nisi ex ejus
libero consensu , quem dare nec vult , nec tene-
tur , ergo eos non impedit à spe melioris pretii ;
qui autem utitur dolo vel mendacio , sed per ea
non impedit à bono vel spe boni , non est ob-
noxius restitutioni , quia damnum reale non in-
fert. *Confirmatur* : Si duo æquē capaces instent
pro beneficio , & collator primo dicat non vacare
beneficium , ut sic possit conferre secundo ,
quamvis utatur mendacio , ad nihil tamen tene-
tur primo , quia primus nec habebat jus nec
spem ad beneficium , nisi dependenter à volun-
tate collatoris , quæ supponitur non esse. *Si di-
cas* : etsi cives non habeant jus ad frumenta ,
habent tamen jus , ne ab eorum emptione do-
losè impediantur ; idem est de eo , qui instat
pro beneficio. &. *Distinguendo* : habent jus , ut
dolosè non impediantur ab emptione frumen-
torum , si habeant spem emendi , C. Secùs N.
idem est de impediēte instantem à beneficio ; si
enim instans spem nullam habeat , damnum rea-
le ei non infertur.

10. Ex eadem ratione , qui negat crimen 8.
semi-probatum , non tenetur ad mulctam , quam
aliàs pendere debet , quia Judex vel Fiscus
nec jus nec spem ad mulctam habent , nisi cri-
mine plenè probato , quæ probatio in defectu
unius testis merè dependet à confessione rei ,
quam ipse nec facere vult , nec ex justitia tene-
tur ; neque obstat , quòd fortè mentiatur , nam

per solam voluntatem tacendi , etiamsi mendacium non adfuisset , plena criminis probatio & per consequens multa impedita fuisset. Idem plures dicunt de eo , qui innocentiam per falsos testes probat , quod admitti potest , si absque eo crimen plenè probari non poterat , aliàs enim Judex habuisset spem certam multæ , à qua impeditur per falsos testes. Similiter si Religiosus iussus instruere vel qualificare aliquem pro beneficio , dicat se non habere tempus , cum tamen habeat , non tenetur ad aliquid , quia talis non habuit ullam spem qualificationis , nisi dependenter ab ejus voluntate , quæ non existit , neque ex justitia , v. g. erga stipendium instruere tenetur , sed solùm ex obedientia & charitate , ut suppono : si autem mendacio impediret , quò minus ab alio instrueretur , utique teneretur pro rata spei.

C A S U S XL.

De Radice restitutionis ex re accepta , & in specie de possessore malæ vel dubiæ fidei.

Vitellius aliqua incipit possidere dubitans , 1. An sint aliena , qua apud ipsum perierunt , vel eorum Dominus reperiri non potuit. 2. Alia possidet partim bonâ , partim malâ fide. 3. Retinet , consumit aut vendit , etsi probabilius iudicet esse aliena. 4. Putat se possidere vel consumere rem Petri , cum tamen sit Pauli. 5. Detinet rem malâ fide. 6. Vel bonâ fide accepit à possessore mala

la fidei. 7. *Qua res ejus expensis fuit meliorata.*
 8. *Triticum alienum consumit in primo, secundo
 & tertio valore, 9. & sequentibus. Dubitat,
 an Dominus triticum in summo valore erat con-
 sumpturus. 14. Res ex incendio ereptas retinet.*
 15. *Eodem vel alio casu perdit. 16. Consumit
 vel destruit. 17. Plura accepit ad opus illicitum.*
 18. *Vel ad opus debitum, v. g. ut solvat mutuum,
 ut non occidat, ut deponat odium, ut frequentet
 Ecclesiam? 19. Pro resolut.*

QUÆR. I. Quis teneatur ex re accepta? R. I.

Ex re accepta tenetur restituere, quisquis rem alienam bonâ vel malâ fide detinet aut possidet; ille dicitur possidere bonâ fide, qui detinet rem alienam invincibiliter credens esse suam, vel saltem licitè à se detineri; ille possidet malâ fide, qui vel scit, vel culpabiliter ignorat rem esse alienam, vel saltem ab initio possessionis de hoc dubitat, & tunc etiam vocari potest possessor dubiæ fidei.

QUÆR. II. Quid circa possessorem dubiæ fidei? R. seqq. 1. Qui incipit detinere rem, de qua dubitat, an sit aliena, si id faciat animo eam sibi retinendi, est fur & tenetur ex iniqua acceptione reddere rem ipsam, si existat, vel, si perierit etiam sine ejus culpa, ejus valorem & omne interessè: si detineat rem animo inquirendi eamque Domino, si comparuerit, restituendi, non peccat, sed rectè gerit negotium Domini, quòd si factâ diligenti inquisitione per tempus arbitrio prudentis sufficiens certum Dominum reperire nequeat, potest rem cum eo, de cujus dominio dubitat, dividere, vel, si non dubitet de aliquo in particulari, sed in genere, an res sit aliena vel non sua, pro rata du-

bii dare pauperibus, hæc enim præsumitur voluntas Domini.

3. 2. Si possederis rem per aliquod tempus bonâ , per aliud malâ fide , teneris pro tempore bonæ fidei tantum ex re accepta reddere ipsam rem , si adhuc existat , vel in quantum ex ea factus es ditior ; pro tempore malæ fidei insuper obligaris ex iniqua acceptance , seu potius detentione ; ita ut , si rem tunc consumpseris , vel etiam sine tua culpa perierit , tenearis solvere ejus pretium & omne interesse.

4. 3. Si possessori bonæ fidei superveniat rationabile dubium , tenetur quidem inquirere , si autem factâ inquisitione dubium deponi non possit , licet rem sibi retinet aut distrahit , quia hic melior est conditio possidentis. Ut docent communiter omnes etiam ii , qui alioquin volunt , in dubio tutiorem partem esse amplectendam. Ratio est , quia , licet tunc ipsum rei dominium sit dubium , possessor tamen certus est se rem tenere bonâ fide , ideoque propter jus incertum alterius possessione rei privari nec potest nec debet. Idque tenet , etiamsi post inquisitionem probabilius sit , quod res , quam huc usque bonâ fide possides , non sit tua. *Vasq. Boniac. Arrag. q. 62. a. 1. Th. Sanch. l. 1. in Decal. C. 12. num. 9. Palao, Dian. Laym. Rosmer, Metzg. Petsch. p. 586. Lug. n. 93. La Croix lib. 3. p. 2. nu. 563. contra Bann. Ledesma, Salton, Valent. Girken &c.* qui dicunt aliquid debere pro ratione majoris probabilitatis ; nam licet in pari dubio & probabilitate melior sit conditio possidentis , non tamen ubi impar causa est ; uti hic. Sed Ratio nostra est , quod titulus possessionis præponderet aliis omnibus rationi-

tioni-

tionibus & præsumptionibus, sitque jus certum insistendi rei ut suæ, usque dum certò probeatur rem esse alienam, quod non fit per maiorem probabilitatem. Si tamen possessor rem ita dubiam alteri vendat, tenetur ex justitia emptorem monere de illo dubio, dicendo se omninò certum non esse, quòd res sit sua, adeòque subesse periculum evictionis, quia generaliter venditor debet emptori aperire vitium mercis, ratione cuius minus valet, & emptor vel non emeret, vel non tanti emeret, si sciret, atque in proposito res incerta, an sit aliena vel furtiva, multò minus valet, quàm res certa venditoris, ergo.

4. Si es in mala fide respectu unius, non autem respectu veri Domini, v. g. putas te possidere fundum Petri, ejusque fructus consumis, cum tamen sit Pauli, cognitâ veritate teneris ex injusta acceptione fundum unâ cum fructibus & omni interesse reddere Paulo; si verò ita fuisti comparatus, ut non detinuisset fundum, nec fructus ejus consumpsisset, si scivisset pertinere ad Paulum, probabiliter tantum teneris ex re accepta restituere fundum & fructus existentes, aut in quantum ex iis factus es ditior, non autem, si casu perierint, quia consumendo fructus non fuisti Paulo formaliter injurius.

QUÆR. III. Ad quid teneatur possessor malæ fidei? *Res. Possessor male fidei tenetur restituere rem, si existat, aut, si perierit vel consumpta sit, ejus estimationem, nec non omne damnum emergens & lucrum cessans, sive res perierit cum ejus culpa vel commodo, sive non, dummodo eodem casu non fuisset peritura apud Dominum: est Regula generalis & certa, ac colligitur ex D. Thom.*

2. 2. q. 62. a. 6. Ratio est, quòd possessor malæ fidei non tantùm obligetur ex re accepta, sed etiam ex injusta acceptione vel detentione, per quam est causa, quòd Dominus re suâ ad lucrum & commodum suum uti non possit; ergo æquum est, ut reparet lucrum cessans & omne damnum ex suo delicto alteri obveniens; sed quid, si tu quidem habeas rem bonâ fide, præcessor autem tuus habuerit eam malâ fide?

7. *Res.* Si sis successor universalis seu hæres, teneris nō tantùm ex re accepta, sed etiam ex injusta damnificatione seu delicto non tuo, sed testatoris, unde teneris ad omne damnum emergens & luerum cessans, quantum scilicet patiuntur vires hæreditatis. Ratio est, quòd hæres in jure censeatur eadem persona cum testatore, & sicut succedit in omnia ejus jura, sic & in omnia ejus debita & obligationes, quod probabiliter etiam extenditur ad hæredes mediatos. Si verò non succedas ex titulo universali seu hæreditatis, sed titulo particulari emptionis, donationis, legati, &c. teneris tantùm ex re accepta, in quantum factus es ditior, quia talis successor non censeatur eadem persona cum suo antecessore. Idem dicendum est de Superiore religioso, qui bonâ fide succedit antecessori malæ fidei non ut hæres in vim testamenti, sed ut administrator vi electionis vel constitutionis. Unde

8. *Deduces seqq.* 1. Si res aliena apud furem vel malæ fidei possessorem melior facta est, v. g. equus vel bos crevit, ager melioratus est, in fundo arbores sunt plantatæ, &c. restituenda est cum omni melioramento in- & extrinseco, deductis tamen expensis necessariis, quas ipse Dominus facere debuisset, nisi hæ expensæ per usum

sum vel commodum ex re v. g. elocatione equi alieni acceptum, fuissent compensatæ, tunc enim nihil detrahi posset pro expensis, sed totus rei valor Domino restituendus erit. Melioramentum verò aliud vocatur in-aliud extrinsecum; intrinsecum dicitur, quo res per intrinsecam suâ mutationem fit melior, ut dum ex vitulo fit vacca, ex pullo equino fit equus, ex agro sterili fit fertilis, &c. extrinsecum est, si res in se invariata hîc & nunc pluris æstimetur ab intelligentibus, ut si triticum ob raritatem modò veneat 10. cùm ante venderetur 5. florenis. &c.

2. Valor rei tam in-quàm extrinsecus crescere potest & decrescere, sic ex pullo equino valente 10. aureos crescit equus valens 100. & hic senescens decrescit iterum ad 10. aureos; item triticum in Augusto valet tres, in hyeme sex, in vere iterum tres aureos; quæstio est, in quo valore res à fure ablata, consumpta vel destructa restitui debeat, & quamvis communis regula sit, non esse attendendum ad hunc vel illum præcisè valorem, sed ad ipsum damnum, quod per injustam rei ablationem, consumptionem vel detentionem Domino illatum est, ut tamen hoc damnum æstimari possit, attendi debet ad tempus, quo iniquus detentor rem consumpsit, & tempus, quo Dominus eam fuisset consumpturus vel destructurus, nisi ablata fuisset: itaque

3. Si fur modium tritici furetur & absumat 10. in Augusto, quando valet tres aureos, & Dominus pariter tunc erat consumpturus, sufficit reddere simile triticum vel tres aureos, quia Dominus non est plùs damnificatus. Item si fur
aufe-

auferat & vendat pullum equinum, dum valet decem aureos, quem Dominus eodem pretio erat venditurus, satisfaceret reddendo similem pullum vel 10. aureos.

4. Si Dominus equum suum erat venditurus tempore medio, quando valebat 100. item triticum, quando valebat sex aureos, vel ob defectum tritici proprii coactus fuerit emere aliud sex aureis, vel in tali valore triticum suum erat consumpturus, in pauperes erogaturus, &c. tenetur fur restituere summum illum valorem intermedium, scilicet 100. pro equo & sex pro tritico, quamvis ipse pullum vendiderit pro 10. & triticum pro tribus aureis; *Ratio est*, quia Dominus revera summum illum valorem erat percepturus, & fur iniquâ suâ acceptione causa est, quòd non percipiat, excipe, nisi fur tam maturè reddat pretium pulli v.g. 10. aureos, ut Dominus eodem pretio similem pullum (idem est de tritico) facillè comparare, & in tempus summi valoris reservare possit, si enim tunc pullum non emat, vel in tale tempus non reservet; non furi, sed suæ negligentiae damnum adscribere debet.

5. Si Dominus triticum (idem est de equo) erat consumpturus tertio tempore, quando ejus valor decrevit ad tres aureos, fur autem consumpsit vel vendidit tempore primo, quando similiter valet tres, tantum tenetur ad tres aureos, quia Dominus plus damni passus non est, utpote in eodem valore triticum consumpturus.

II. 6. Quòd si fur consumat, vel quomodocunque distrahat triticum tempore medio, quando valet sex aureos, tenetur solvere sex, licet Dominus

minus

minus illud consumpturus fuisset tempore primo vel tertio, quando valebat tantum aureos tres. *Lug. dis. 18. à n. 125. contra Less. Laym. hic c. 4. n. 6. Ratio est*, quia sicut triticum ita & totus ejus valor tam ex-quàm intrinsecus pertinet ad Dominum, & res tunc existens cum toto suo valore ex-& intrinseco ex justitia Domino restitui debebat; ergo fur non restituendo sed eam consumendo, vendendo, donando, destruendo, &c. est causa iniqua, quòd totus ille valor Domino pereat: nec refert, quòd Dominus triticum erat servaturus in tempus minoris valoris, nam damnum infertur pro presenti, quando triticum valet sex aureos, ergo & sex restitui debent, & si Dominus triticum servasset ad valorem trium aureorum, seipsum damnificasset, quòd ei liberum erat, nunc verò eum invitum damnificat fur tempore summi valoris.

Dices 1. Ad justitiam sufficit, si per restitutionem Dominus tantum habeat in rebus suis, quantum habuisset, si res non fuisset ablata, sed hoc fit, si fur restituat pretium tertii temporis vel triticum simile, quando Dominus illud erat consumpturus, ergo. 2. Summus ille valor intermedius vel non spectat ad Dominum rei, cum sit rei extrinsecus, vel si spectet, est Domino inutilis & nullius pretii, quia nunquam erat à Domino percipiendus, & quòd fur vendat tempore summi pretii, spectat ad industriam & fortunam furis, sicut si triticum vehat ad locum, ad quem Dominus non erat venturus, ibique summo vendat pretio. 3. Si triticum tempore illo periisset incendio, vel alio casu absque culpa furis, satisfaciet fur dando

do tres aureos vel simile triticum, quia tunc Dominus servatur indemnis, ergo à pari si consumatur. 4. Fur non tenetur ad omnem valorem & lucrum, quod Dominus ex re sua percipere poterat, sed quod revera erat percepturus, atqui summum valorem nunquam erat percepturus, ergo. Ecce sententiam verè probabilem. *B.* *Ad 1. Negando assumptum*: æqualitas justitiæ requirit, ut Dominus tantum habeat, quantum habuisset, si res sua non fuisset iniquè ablata, neque iniquè consumpta vel vendita; si autem fur tempore summi valoris triticum vel ejus pretium, uti debebat, restituisset, Dominus fuisset ad tres aureos ditior. *Ad 2.* quamvis ille valor sit Physicè tritico extrinsecus, est tamen moraliter intrinsecus, quia facit triticum æstimabilius, neque provenit ab industria furis, sed à communi hominum æstimatione, & vehens, vendensque carius triticum in remotiore urbe, totum valorem Domino restituere debet deductis expensis, ut dicam Cas. seq. quòd autem Dominus non utatur illo medio valore, per accidens est, neque propterea censetur nullius pretii, sicut si non utar meo equo, adhuc retinet suum pretium, &, si eundem occidas, debes tantum restituere, quantum valuit tempore occisionis; ergo à pari consumens vel distrahens meum triticum, debet restituere totum valorem, quem habuit tempore consumptionis, etsi ego illo valore non essem usus. *Ad 3. N. Assumptum*; nam fur est causa, quòd triticum in tanto valore apud ipsum pereat; si enim tunc restituisset, uti debebat, incendio non periisset. *Ad 4.* Fur quidem non tenetur ad omnem valorem, quem triticum habere poterat,

rat,

rat, sed ad eum, quem actu habebat, quando illud consumebat, totus enim valor ille erat Domini.

7. Si fur triticum tempore summi valoris non consumat vel distrahat, sed reseruet, usque dum valor ejus ad tres aureos decrescat, si Dominus etiam eò usque erat servaturus, satisfaciet reddendo triticum, si existat, vel tres aureos, quia ille valor eodem modo decrevisset apud Dominum, ut supponitur. 12.

8. Si Dominus triticum suum erat distracturus primo tempore, quando valebat tres aureos, & fur illud servet ad tertium tempus, quando itidem valet tres aureos, & tunc consumat vel distrahat, juxta *Sporer t. 4. c. 2. nu. 156.* sufficit reddere tres, & ita sentire dicit omnes, sed minus rectè; itaque attendi debet, an Dominus, si fur triticum tempore summi valoris, uti debebat, restituisset, in summo illo valore sex aureorum erat consumpturus aut distracturus, vel e contra servaturus, usque dum decresceret ad tres aureos; si primum, tenebitur fur restituere summum valorem, id est, sex aureos, quia Dominus illum valorem erat percepturus, & fur injustè triticum tunc detinendo est causa, quòd Dominus summum valorem non percipiat: si secundum, satis est restituere valorem tertii temporis, vel simile triticum, quia ille valor eodem modo decrevisset apud Dominum; ex his facilè resolves, ad quid teneatur, qui pullum equinum furatus est, eumque reservat, usque dum præ senectute moriatur, nam, si apud Dominum eodem modo erat servandus & moriturus, nihil obligatur dare pro equo; sed satis erit recompensare omne lucrum

crum cessans aut damnum emergens; ut si defectu equi non potuit agros suos colere, aut debuit aliis culturam solvere, vel novum equum sibi emere, &c.

14. 9. In dubio, an Dominus rem suam erat in summo vel minori valore distracturus, restitutio facienda est pro rata dubii arbitrio prudentis; non enim pro damno incerto tantum restitui debet, quantum pro certo, neque Domino dicenti se rem fuisse venditurum summo pretio, necessario credendum est, nisi accedant alia indicia, ut si de re vendenda jam egisset. *Molin, Laym, Lug, L. cit.*

15. 10. Qui res metu incendii ejectas subducit, tenetur eas restituere Domino, quia non habentur pro derelictis, sed animo salvandi ejiciuntur; idem est de eo, qui res alienas incendio, inundatione vel devastatione hostium certo perituras eripit, quia manent sub priori dominio. *Si dicas*, consumens vel destruens rem in tali periculo ad nihil tenetur, quia res statim peritura nullius est pretii, ergo & eripiens. *z.* Consumens vel destruens rem à periculo jam liberatam & ereptam ad nihil tenetur *N.* destruens nondum ereptam, nec eripiendam *C.*

16. 11. Possessor malæ fidei etiam tenetur de casu fortuito, nisi res eodem casu & periculo v. g. serpente eodem incendio, eadem incurfione hostium, eodem naufragio erat peritura apud Dominum; tunc enim non tenetur, nisi ad damnum, quod Dominus fortè passus est ex carencia rei usque ad ejus interitum. Ratio est; quia tunc iniqua rei ablatio non est causa, quòd res pereat, quia similiter erat peritura apud Dominum; si dubium sit, an res similiter apud Dominum

minum
da
res
ter
dit
qu
pr
ve
de
rer
ba
est
sic
fec
eat
si v
po
rer
vel
tur
cic
oc
ris,
pt
qu
bit
g.
mu
illi
tue
tes

minum peritura fuisset, restitutio saltem facienda est pro rata dubii & probabilitatis; quòd si res quidem erat peritura, sed alio casu & per alterius injustitiam, ut scitu non surripuisses, occidisses, &c. surripuisset, vel occidisset alius, tunc, qui alium prævenit in damno inferendo, etiam prævenit in obligatione restituendi.

12. Si rem ante incendium, inundationem 17.
vel naufragium ablatam absumpsisti, vendidisti, destruxisti, teneris restituere illum tantum valorem, quem tunc ob imminens periculum habebat, quia tantum damni & non amplius illatum est; si verò periculum publicè ignorabatur, tunc, sicut communis rei valor non minuitur, sic & secundum illum valorem restitui debet ab eo, qui eam injustè destruxit, consumpsit vel vendidit; si verò periculum sit publicum, & res salvari non possit, ut in communi incendio vel naufragio, rem alienam consumens vel destruens ad parum vel nihil tenetur, quia res certò & statim peritura exigui vel nullius est pretii; idem est, si occidas hominem vel equum laborantem morbo occulto, ex quo certò erat moriturus, non teneris, nisi in quantum interfuit citiùs fuisse interemptum.

QUÆR. IV. An sit obligatio restituendi id, 18.
quod quis accepit pro opere illicito vel aliàs debito?

R. I. Si accepisti aliquid pro opere turpi, v. g. ut occidas, diffames vel inebries proximum, ut feras iniquam sententiam, &c. opere illicito nondum præstito teneris acceptum restituere, quia opus sine peccato impleri non potest: postquam opus illicitum jam præstitum est,

E e

v. g.

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. I.

v. g. homicidium jam patratum, sententia iniqua lata, prostitutio corporis à meretrice obtenta, acceptum retineri vel promissum justè exigì potest, quia dans sponte à se abdicavit dominium rei datæ vel se ad dandum obligavit sub conditione operis turpis, quod jam positum est. Nec obstant leges civiles ejusmodi contractus meritò improbant, quia solùm obligant ad restitutionem post sententiam; excipe ea, quæ accepta sunt simoniacè, hæc enim semper restitui debent, etiam ante sententiam, quia jura planè irritant donationes simoniacas: ità cum communi *Tamb. l. 7. à f. 190.* ubi addit mulierem non tantùm honestam, ut vult *Lugo d. 18. n. 47.* sed & meretricem posse taxare usum sui corporis pro libitu, quia res, quæ pretio statuto vel vulgari carent, tanti possunt vendi, quanti eas æstimat, qui vendit, quod est valde probabile. Si quid detur non pro ipso opere turpi, sed intentione animandi vel sollicitandi ad opus turpe, fornicationem, v. g. illud licitè acceptari non potest, & acceptatum in continenti reddi debet, non quòd accipiens vel retinens peccet contra justitiam, cum alter sponte donet, sed quia fovet alterius peccatum, & in facto dat spem explendi operis turpis, etiamsi accipiens in illud non consentiat, ut dixi Casu 20. n. 9, in dubio autem, an donatio fiat in ordine ad conciliandum amorem vel amicitiam honestam vel inhonestam, saltem ex causa acceptari & retineri potest, in dubio enim nemo præsumitur malus.

19. R. II. Non potest exigì vel retineri, quod promissum vel datum est pro re ex justitia debita, ut si Judex accepit aliquid pro ferenda senten-

ten-

rentia justa, vel ut non occidat innocentem, ut solvat mutuum, &c. restituere debet, quod sic accepit. *Ratio est*, quia dans aliquid pro re ex justitia debita, æquivalenter emeret rem suam: quòd si res ex justitia sit debita non tibi sed alteri, v. g. Cajo est debita omisso suæ occisionis, dubitatur, an Titius volens occidere Cajum possit aliquid à te recipere & retinere eâ conditione, ut Cajum non occidat? affirmat *Sorus & Bannes*, nam quamvis habeat jus ad omissionem suæ occisionis, tu tamen non habes jus, & illa omisso est Titio libera, ergo Titius eam tibi vendere potest; nihilominus tenendum est oppositum, quia res aliena vendi non potest, sed omisso occisionis Caji non est Titii, sed Caji, cui ex justitia debetur, ergo.

Dixi pro re debita ex justitia; nam si res debita sit ex alia virtute, per se loquendo retineri potest, quod pro ea accipitur, ut si detur pecunia, ut deponas odium, ut frequentes Ecclesiam, relinquantur turpia consortia, &c. neque hic est simonia, quia non datur ut pretium pro re spirituali, sed ut alliciaris ad actum honestum vel deserenda peccata, &c. per accidens tamen obligatio esse potest etiam restituendi, quod acceptum est pro re ex alia virtute v. g. ex religione debita, v. g. vovisti certæ Ecclesiæ dare 100. aureos; ut votum exsolvas, Ecclesia tibi dat vel remittit decem, non satisfacis voto, nisi reddas 10. aliàs enim non dares 100. sed 90. & ex toto votum non impleres.

* * * *
* * * *
* * * *
* * * *

C A S U S X L I .

De Possessore bonæ fidei & restitutione fructuum.

Wilhelmus Theologus interrogatur, ad quid teneatur possessor bonæ fidei, an satisfaciat restituendo pretium rei existentis. 1. Quid si rem alienam consumpsit, vel in remunerationem aliquid accepit. 2. Quid si rem alienam miscuit sua. 3. Vel in proprio & alieno agro aliena frumenta seminavit. 4. Quid si fur pecunias suis mixtas tibi donet. 5. Si rem alienam vendas, an Domino comparenti tenearis dare acceptum pretium. 6. 7. Quid si pretium sit furtivum. 8. Quid si utens veste & vino alieno pepercit suo pretiosiori. 9. Ad quales fructus teneatur possessor bonæ vel malæ fidei, & quas expensas valeat deducere. 10. & seq. An vendens rem alienam fiat Dominus pretii. 16. Quid si res emptori pereat, an venditor resciscens fuisse rem alienam teneatur ei reddere pretium. 17. Quid si elocasti equum alienum, quem Dominus non erat elocaturus, vel econtra: quid si ideo carius elocasti, quia eum fecisti exerceri in palestra. 18. An teneatur ad fructus, quos percipere neglexit, & Dominus vel non erat, vel erat illicitè percepturus. 19. Quid si ideo plures fructus percepit, quia agrum melioravit, etsi fructus perierint. 20. Quid si circa rem habeat malam, circa fructus bonam fidem. 21. In cultura agri impendit sex aureos, cum Dominus tantum erat impensurus tres, vel econtra. Aut coactus fuit equum alienum ab hoste ereptum redimere. 22.

An

An possit deducere expensas litis super re aliena sibi intentata, & quid si tempore litis res vitietur, vel fructus consumantur. 23. Quid si questor nomine Domini sui empturus vel reluturus pensionem annuam Domino ignorante uno anno citius eam emat vel reluat, an pensionem istius anni tanquam fructum industrialem sibi retinere possit? 24. Pro resolutione.

QUÆR. I. Ad quid teneatur, qui possidet rem alienam bonâ fide?

R. Extra casum præscriptionis tenetur restituere ipsam rem & fructus existentes (de quibus infra) vel in quantum ex re aliena factus est ditior. Est iterum Regula universalis & certa. S. Thom. 2. 2. q. 6. Ratio est, quia possessor bonæ fidei Domino rei nullam fecit injuriam, ergo non tenetur plus restituere, quam de facto possideat, & in quantum ditior effectus est. Dicitur autem ditior factus, si ratione rei alienæ plus habeat in bonis suis, quam habuisset sine ea, ut si consumendo rem alienam pepercit suæ, si alienam gratis acceptam vendidit, permutavit, &c. Dixi: Tenetur restituere ipsam rem, si existat, & quidem in individuo, nec sufficit dare pretium æquivalens, non enim Dominus invitus cogi potest sine causa permutare vel vendere rem suam, idque ex genere suo esse peccatum mortale, patet exemplo Naboth. 3. Reg. 21. Unde

Deduces sequentia: 1. Si possessor bonæ fidei rem alienam suâ culpâ neglexerit, destruxerit, prodigè consumplerit, gratis donaverit, non donaturus aliam, si illam non habuisset, &c. ad nihil tenetur, quia non est factus ditior; unde si dono acceperis anulum alienum pretiosum vel raram picturam, eamque dones Prin-

E e ;

cipi,

cipi, alioquin nihil daturus, Princeps quidem comparente Domino tenetur reddere annulum vel picturam, tu verò ad nihil teneris; *Nec obstat*, quòd fortè aliquid in gratiarum actionem à Principe receperis, quia id accepisti non ut rei pretium, sed gratis pro bono affectu, qui ut inculpabiliter conjunctus cum re aliena erat dignus remuneratione.

3. 2. Qui alienum frumentum, pecuniam, oleum, vinum ita miscuit rei suæ saltem potiori aut valdè notabili, ut discerni & separari non possint, ex dispositione legum fit Dominus rei mixtæ, & quidem si id fecerit bonâ fide, solum tenetur, in quantum factus est ditior, ut si vinum gratis acceptum suo miscuit, debet solvere ejus valorem, si pretio emerit, ad nihil tenetur, quia non est factus ditior; si mixtio facta sit malâ fide, tenetur restituere valorem rei & omne interesse; idem est, si rem alienam bonâ fide feceris tuam per accessionem, ut si in tuo fundo seminasti aliena frumenta, ædificasti domum, plantasti alienas arbores jam radicatas, vel bonâ fide in rem alienam induxisti novam speciem, v. g. ex alienis arboribus fecisti asseres, sis quidem Dominus asserum, sed cum obligatione restituendi, in quantum factus es ditior; imò si ordinariâ arte nova species tolli & ad priorem formam reduci possit, nequidem sis Dominus, ut si ex alieno argento vel auro facias scyphum, ex alienis asseribus facias navim, quia eâdem arte scyphus iterum in argentum vel aurum conflare & navis in asseres dissolvi potest; idem probabilius est de omni specificatione facta malâ fide, tunc enim inducens speciem non acquirit rei dominium. L. 3.

§. 3.

§. 3. ff. ad exhibendum ; sed tenetur ipsam rem cum omni damno & lucro cessante restituere. V. dicta Cas. 22. à n. 21.

3. Si in alieno agro aliena frumenta sevisi, Dominus agri fit Dominus frugum , nec tibi tenetur quidquam reddere , nisi expensas & laborem ; illi autem , cujus frumentum fuerat , tenetur reddere æquivalens , quia in tantum fuit factus ditior ; si ager fructus non ferat , ad nihil tenetur , quia ditior ex re aliena effectus non est.

4. Si rem alienam cum aliena miscuisti , non sis earum Dominus , sed quælibet retinet priorem Dominum , idem est , si misceantur casu vel utriusque Domini consensu. L. adeo ff. si voluntas & instit. de rerum divisione. §. si duorum.

5. Si fur pecuniam vel frumenta ablata permutationem fecerit sua & tibi donet , tutò retinere potes , quia non sis ditior ex re aliena , sed ex re pertinente ad furem ; quòd si fur propterea te sciente fieret impotens restituere , juxta Molin. Castrop. de just. com. d. 1. p. 14. adhuc licitè retines , quia non induxisti furem , ut tibi daret , ideòque causa non es , quòd fur fiat impotens , sed ex justa causa scilicet propter tuam utilitatem permittis illam impotentiam. Hæc sententia est probabilis ; oppositum tamen videtur probabilius. Ratio est , quia fur tunc justè dare non potest , idque tu scis , ergo acceptando donum cooperaris ejus injustitiæ , & es causa , quòd fur fiat impotens solvere debitum justitiæ , neque sola tua utilitas videretur causa sufficiens cooperandi furis peccato & alterius damno. V. Cas. 46. n. 11.

6. Si rem alienam bonâ fide possideas titulo 6.

gratuito, illamque vendas, teneris totum pretium restituere Domino ex post comparenti, etiam si per mixtionem pretium feceris tuum, quia in tantum ex re aliena es factus ditior, nisi forte ex tua industria vendidisses pretio extraordinario, tunc posses id, quod respondet industriae, retinere; secus est, si excessus pretii proveniat ex re ipsa, cujus valor in-vel extrinsecè crevit; ut, si ex pullo equino gratis tibi donato factus est equus, aut frumentum alienum ob annonae penuriam summo vendidisti pretio, debes deductis expensis necessariis & utilibus totum restituere pretium; nam res semper est Domini, & Domino valet, quancumque valet, & factus es ditior non ex sola tua industria, sed praecipue ex re aliena.

7. Si habeas rem alienam titulo non lucrativo, v. g. emisti bonae fide equum Caji à Titio, eumque iterum vendis Sempronio; si Cajus probet esse suum, tenetur eundem Sempronius reddere; tu verò teneris Sempronio emptori reddere pretium, etiam si illud perdidideris vel pecuniae tuae indiscernibiliter miscueris, idque non ex re accepta vel injusta acceptione, sed vi contractus venditionis, ex quo venditor emptorem obligatur servare indemnem, seu praestare evictionem: si emptor non compareat, non teneris Domino equi dare acceptum pretium, quia possessor bonae fidei tantum teneris ex re accepta reddere ipsam rem alienam, si adhuc existat, vel in quantum est factus ditior; sed equus non amplius apud te existit, neque ex eo factus es ditior, cum pro eo aequale pretium dederis, ergo. *Vasq. Molin. dis. 378. Bonac. Less. Lug. Viva op. 2. q. 2. a. 3.*

8. Si

8. Si fur pecuniis furtivis emat mercem, venditor tenetur Domino comparenti restituere pecunias, si adhuc impermixtæ existant, etsi à fure nequeat recipere mercem suam, quia res, ubicunque existit, clamat suam Dominum, quòd, si venditor pretium bonâ fide miscuerit suis pecuniis, ad nihil tenetur, non ex re accepta, quia pecuniam per mixtionem fecit suam juxta *L. si alieni nummi ff. de solut.* neque ex pecunia furtiva factus est ditior, quia pro ea dedit mercem æquivalentem; neque ratione injustæ acceptationis, quia processit bonâ fide. Plura de merce & pretio furtivo dicam suo loco.

9. Qui vestem pretiosam gratis bonâ fide acceptam attrivit, tenetur Domino comparenti solum restituere vestem, ut nunc est, & in quantum pepercit simili vesti propriæ. Quòd, si vestem pretio emit & attrivit, satisfacit reddendo solam vestem attritam, quia in nullo factus est ditior. Si consumens vinum alienum pepercisti proprio pretiosiori, non teneris reddere nisi valorem vini consumpti, plus enim alteri non debetur, & quòd peperceris rei pretiosiori, est per accidens ex tua industria.

QUÆR. II. Quid circa restitutionem fructuum?

R. Seqq. 1. Fructus alii sunt naturales, alii mixti, alii industriales; *naturales* sunt, qui proveniunt ex ipsa re, absque ullo ferè hominum labore vel industria, uti fœtus animalium, lana ovium, ligna cædua, herbæ, gramina, &c. *L. fructus 45. ff. de usur.* *Industriales* sunt, qui præcipuè proveniunt ex industria humana, re alienâ se habente ut instrumentum, ut, si alienâ falce pro stipendio labores, alienâ pecuniâ lu-

das, negotieris, aut censum emas, lucrum inde resultans censetur fructus industriæ. *Fructus mixti* sunt, qui producuntur & naturâ & industriâ notabiliter concurrente, ut legetes ex agris, uva ex vineis, &c. Alius item dicitur fructus civilis, eò quòd in foro civili habeatur tanquam fructus, ut sunt; pretium elocationis, pensiones, mercedes, salaria, &c. Sed hi fructus reducuntur ad naturales, industriales vel mixtos, prout res ipsa vel industria ad eos magis vel minus concurrunt. Denique alii *fructus dicuntur pendentes*, putà, qui in rebus, in quibus nascuntur, adhuc existunt: alii *percepti*, qui jam separati sunt à re, à qua proveniunt, etsi fortè adhuc jaceant, ubi creverunt; alii *percipiendi*, qui percipi potuerunt, non autem sunt percepti.

11. 2. Possessor bonæ fidei tenetur restituere omnes fructus naturales adhuc existentes, vel si non extent, in quantum ex iis factus est ditior, sive res apud Dominum illos fructus erat habitura, sive non. *Ratio* est, quia isti fructus proveniunt ex ipsa re, non ex industria possidentis; sicut ergo res ipsa, sic & fructus sunt Domini, quia res fructificat suo Domino: excipe, nisi sint legitimè præscripti, fructus enim tanquam quid mobile triennio, res verò immobiles velut fundus, ager &c. inter præsentis decennio cum titulo præscribuntur; unde pater fundum sæpè restituendum esse (scilicet si per octo vel 9. annos tantùm fuerit possessus) non tamen fructus etiam existentes, utpote triennali possessione præscriptos.

12. 3. Possessor bonæ fidei tenetur etiam restituere fructus mixtos, in quantum sunt naturales, non tantùm perceptos aut consumptos à
tem-

tempore motæ litis, ut clarè habetur *L. 22. Cod. de rei vindicat.* sed probabiliùs etiam perceptos ante contestationem litis; est communis Theologorum contra modernos jurisperitos, qui non improbabiliter docent, possessorem bonæ fidei omnino liberum esse, si fructus mixtos ante litem motam consumpsit, etiamsi ex iis sit factus ditior, fateturque Sanchez juxta hanc sententiam in foro externo pronuntiarì. *Ratio* nostra est; fructus mixti, in quantum sunt naturales, proveniunt ex ipsa re, & sunt ejusdem conditionis cum naturalibus; sicut ergo hi juxta omnes restitui debent, in quantum possidens ex iis factus est ditior, sic & mixti secundùm partem, secundùm quam sunt naturales; *Et locupletari non debet aliquis cum alterius jactura, Reg. juris 48. in 6.*

4. Nec bonæ, nec malæ fidei possessor tenetur restituere fructus industriales, aut fructus mixtos, in quantum respondent industriæ. *Ratio est*, quia hi fructus non proveniunt ex ipsa re, sed ex industria; sicut ergo industria pertinet ad eum, qui eam ponit, sic & fructus ex ea proveniens; unde fur, qui alienâ pecuniâ ludit vel negotiatur, lucrum inde perceptum restituere non obligatur; cum enim pecunia ex se non sit fructifera, lucrum mediante eâ acquisitum est fructus industriæ.

5. Possessor malæ fidei tenetur restituere omnes fructus naturales & mixtos, in quantum sunt naturales deductis expensis, sive ex iis factus sit ditior sive non, sive dominus eos erat percepturus sive non, sive cum culpa ejus perierint sive non: *Ratio est*, quia omnes illi fructus pertinebant ad Dominum rei, qui iis per injustam deten-

detentionem possessoris fuit iniquè privatus; ergo restitui debent. Quos tamen nec ipse percepit, nec Dominus erat percepturus, hos compensare non tenetur, quia in his Dominus damnum passus non est.

Dixi: Deductis expensis: Quæ possunt esse in triplici differentia; primò sunt *necessariae*, sine quibus res periret, deterioraretur, aut fructum nullum afferret. 2. *Utiles*, quæ faciunt, ut res sit melior, vel majorem fructum afferat. 3. *Voluntaria vel voluptuose*, quæ quidem conducunt ad majorem rei ornatum vel voluptatem, ut picturæ, statuæ, artificiosi fontes, solaria, &c. non tamen causant majorem fructum, &c. quoad duas primas expensas communis est sententia, quòd eas Dominus in conscientia teneatur remittere, & si nolit, posse tandiu in pignus retineri rem ejus, usque dum eas compenset; quia æquum non est, ut Dominus plus recipiat, quàm damnificatus sit, & cum alterius damno locupletetur; idem est de compensatione laboris & industriæ, quam possessor pro conservatione vel melioratione rei facere debuit: si enim illa adhibita fuissent ab extraneo, & soluta à possessore, deberet Dominus eas solvere tanquam expensas necessarias vel utiles; ergo etiam, si possessor ea in propria persona præstiterit. Nec obstat, quòd leges possessori malæ fidei negent actionem petendi expensas; nam id statuunt in pœnam delicti, ideòque in conscientia non obligant ante sententiam. Si tamen res apud Dominum existens non indiguisset ejusmodi expensis, nec Dominus eas erat fracturus, eas deducere nequidem potest possessor bonæ fidei, quia non sunt Domino utiles, ut latius explicata-

plica-

plicabitur infra. Expensæ voluntariæ, nisi forsan Domino rei sint damnosæ, aut fructus rei impediunt, etiam deduci possunt, in quantum faciunt rem in æstimatione prudentum meliorem, pluris vendibilem vel elocabilem, aut si salvâ re separari possint, ut portæ, fenestræ, statuæ, horologia, insignia, &c. alienis prædiis affixa, id tam bonæ quàm malæ fidei possessori permissum est. Ex his pro ulteriori Resolutione Casûs

Duces seqq. 1. Si vendas rem alienam, si ^{16.} ve bonâ, sive malâ fide, sis Dominus pretii, ex *L. si vias 48. §. ult. ff. de furtis*; & quamvis videatur esse error in substantia, propterea quidem contractus non est simpliciter validus, hoc tamen non obstat, quo minùs ex dispositione legum aliquem effectum habere possit. Hinc qui tale pretium à te accepit, illud etiam impermixtum retinere potest: si autem Dominus repetat rem suam, teneris ex contractu venditionis emptorem servare indemnem, eidemque pretium restituere, etiamsi rem alienam vendideris bonâ fide.

2. Si bonâ vel malâ fide vendam triticum alienum, quod emptori in via furto perit, non teneor emptori, postquam rescit triticum fuisse alienum, reddere pretium; quia venditor ex *L. cit.* fit Dominus pretii, & emptor habebatur tanquam verus rei Dominus, & æqualiter ei perisset, quamvis habuisset verum rei Dominium; ergo defectus dominii non fuit causa, quòd perierit.

Dices 1. Contractus est nullus, quia vendisti rem alienam & vitiosam, ergo non sis Dominus pretii, ergo teneris illud restituere. 2. Si ven-

vendas vitrum pro gemma, si probet emptor fuisse vitrum, teneris pretium restituere, etiam si vitrum casu apud emptorem perierit. 3. Venditor tenetur emptorem servare indemnem, sed hoc non facit, nisi reddat pretium, ergo. *Ad 1.* Contractus est nullus ex una parte, scilicet ementis C. ex parte vendentis N. nam vendens ex dispositione legis cit. fit Dominus pretii, etsi emens non fiat Dominus mercis. *Ad 2.* Est error in substantia, & contractus ex utraque parte nullus, & traditur res vitiosa; triticum autem alienum non est vitiosum, quia emptori est æqualiter utile ac si esset proprium, & ipsi perit ut Domino: & si argumentum teneret, deberem emptori restituere pretium, etiam si frumentum alienum jam consumpsisset, quia tradidisssem rem alienam & consequenter vitiosam. *Ad 3.* Venditor debet emptorem servare indemnem, si rem alienam coactus fuerit restituere Domino C. si eam ut Dominus consumpserit, vel apud ipsum tanquam apud Dominum perierit N.

18. 3. Si elocasti equum alienum, teneris pretium elocationis unà cum equo, detractis tamen expensis, Domino restituere, quamvis Dominus equum non erat elocaturus; quia hic fructus præcipuè provenit ex re aliena: si verò Dominus erat equum suum elocaturus, tu verò non elocaveris; si es possessor malæ fidei, adhuc teneris lucrum elocationis, quod Dominus erat percepturus, restituere: quia injustè detinendo equum es causa, quòd Dominus lucrum illud non percipiat. Secus si es possessor bonæ fidei, quia tunc non es causa injusta talis damni. Si eloces rem alienam non elocari solitam

tam

ram, v. g. vestem pretiosam, torquem auream &c. adhuc teneris pretium elocationis Domino restituere, sive sis bonæ, sive malæ fidei possessor; quia non datur pro industria, sed pro usu ipsius rei, quæ suo Domino fructificat: e contra, si idè equum cariùs eloces, quia tuis expensis fecisti eum in palæstra exerceri, vel cariùs eloces alienam domum, quia eam tuâ supellectile exornasti, &c. non teneris hunc excessum elocationis dare Domino, quia non est fructus rei, sed tuæ industriæ.

4. Possessor bonæ fidei non tenetur restituere fructus, quos ex re aliena percipere potuit, sed neglexit; non enim obligatur ex re accepta, quia nihil accepit, neque ex injusta damnificatione, quia nulla injuria formalis intervenit. E contra possessor malæ fidei tenetur restituere omnes fructus, quos Dominus licitè erat percepturus, etiam si ipse nec perceperit, nec percipere potuerit. Ratio est, quia injustè detinendo rem alienam est causa, quòd Dominus illos fructus non perceperit. Dixi, quos Dominus licitè erat percepturus: quia lucrum, quod Dominus licitè percipere non potuit, non teneris compensare, ut si Dominus pecuniam à te furto ablatam erat expositurus ad usuras, vel servam suam locaturus ad luxurias, quia nullum jus habet ad ejusmodi actiones, & impediendo ab actione peccaminosa nullam ei facis injuriam.

5. Si possessor malæ fidei rem intrinsecè melioravit, v. g. in alieno fundo plantavit arbores, quas Dominus non erat plantaturus, sive recipiat, sive negligat recipere fructus in iis natos, tenetur eos Domino fundi compensare;
o idem

idem est, si malâ fide stercoravit agros, itâ ut loco sex jam producant 12. modios, tenetur deductis expensis restituere omnes 12. modios, etiam si casu apud ipsum perierint. Ratio est, quia melioramentum illud intrinsecum statim, ut positum fuit, erat Domini, debebatque unâ cum fundo restitui Domino; ergo illud injustè detinens tenetur ad omnia damna inde orta, inter quæ est jactura fructuum, &c.

21. 6. Si quis malâ fide detineat rem, bonâ autem fide putet se fructus facere suos, si fructus non ampliùs extent, neque ex iis factus sit ditior, neque Dominus eos erat percepturus, non tenetur eos compensare, quia Dominum in iis formaliter non damnificavit; si Dominus eos erat percepturus, tenetur eos compensare, quamvis ex iis non sit factus ditior. Ratio est, quia hoc damnum secutum est ex injusta rei detentione.

22. 7. Expensas extraordinarias, quas Dominus non erat factururus, probabiliùs non potest deducere etiam possessor bonæ fidei, ut si in colendo alieno agro, eò quòd non habueris equos proprios, exposuisti sex aureos, Dominus autem tantum erat expositurus tres, non potes deducere, nisi tres, quia reliqui Domino non fuerunt utiles, colligitur ex *L. si fundo de rei vindicat.* Sed quid, si Dominus debuisset exponere sex, tu autem exposuisti tantum tres? *Re.* Id pertinere ad bonam fortunam Domini, nec propterea tibi quidquam retinere potes. Idem est, si bonâ fide emisisti eliena frumenta, quorum vecturæ impendisti 4. aureos, quos Dominus non erat impensurus; vel in cultura alieni agri tibi præ labore moriatur equus, aut de-
nique

inique equus alienus tibi fuit ab hoste sublatus, à quo redimere debuisti, non tenetur Dominus has expensas utpote sibi inutiles tibi refundere. *Nec dicas*: expensæ redemptionis fuerunt necessariæ pro conservatione rei alienæ, & redimens utiliter gessit negotium Domini; ergo has expensas tenetur Dominus restituere. *R. N. assumptum*: Expensæ illæ erant tantum per accidens necessariæ; nam, si res apud Dominum mansisset, pro sui conservatione non indiguisset ejusmodi expensis, ut supponitur, & quia equum non redemit ut alienum cum animo restituendi, non egit rem Domini, sed propriam.

2. Si possessor malæ fidei non percepit fructus 23: ex re aliena, dubitat autem, an Dominus eos erat percepturus, si dubium vincere non possit, tenetur tantum pro rata dubii; si malâ fide cum Domino rei litiges, non tantum rem cum fructibus, sed & omnes expensas litis teneris Domino refundere, ut patet. Si bonâ fide litigasti, non teneris Domino, etsi rem suam eviceris de expensis litis, neque etiam tuas expensas deducere potes, quia non fuerunt Domino utiles, nisi ratione rei alienæ sustinueris litem à tertio, quam Dominus rei etiam sustinere debuisset; tunc enim utiliter egisses rem Domini, eandem contra iniquum petitorum defendendo: imò possessor bonæ fidei post litem intentatam in tantum fit malæ fidei, ut si à tempore litis rem vel fructus consumat, teneatur ex injusta acceptione rem unâ cum fructibus & omni interesse Domino compensare.

9. Qualiter ille, qui pro altero emit, ven- 24
F f dit,

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. 1.

dit, negotiatur, titulo fructus industrialis aliquid sibi retinere possit vel non possit, dixi Cas. 31. à num. 8. Sed quid, si Quæstor Caji sciat, quòd Caju pro mille aureis apud Quæstorem existentibus velit emere censum 50. aureorum, Quæstor autem hunc censum uno anno citius emat Domino ignorante, an 50. aureos isto anno ex censu provenientes tanquam fructum industrialem sibi retinere potest? R. Si emerit censum istum sibi seu suo nomine & periculo, peccat quidem utendo pecuniâ alienâ Domino invito; fit tamen Dominus lucri, sicut fur, qui negotiatur vel ludit pecuniâ alienâ; cum enim pecunia ex se non sit fructifera, ille fructus non ex pecunia, sed ex negotiatione seu emptione censûs provenit; si verò censum emat nomine sui principalis, etiam huic debetur lucrum seu pensio. Idem est, si nomine sui principalis empturus pensionem 40. aureorum, eâdem pecuniâ alibi emat pensionem 50. aureorum: similiter, si Quæstor sciat, quòd Dominus velit redimere, & obnunciet uno anno citius Domino ignorante, qui postmodum per Quæstorem suum jubet solvi mille aureos & unius anni pensionem, Quæstor hanc pensionem retinere non potest, quia obnunciatio facta est nomine principalis; si enim non processit ex præsumpta ejus voluntate, est invalida, & pensio adhuc debetur Domino censûs. *La Croix*

l. 3. p. 1. n. 1040.



CASUS

C A S U S XLII.

De Restitutione in bonis Animæ
& Corporis.

Xanthus Titiam philtro infatuavit. 1. 2. Falsis & noxiis doctrinis ac consiliis imbuivit. 3. Fraude ad peccandum induxit. 4. A religione abstrahere. 5. Ac moniales ad neganda ei vota inducere conatus fuit. 6. Plures mutilavit & occidit, quarit ex Confessario, an teneatur ad sumptus funeris, ad neglectas operas, ad expensas in medicos. 7. 8. Ad quid teneatur heredibus & iis, qui ab occiso alimenta, promotiones aliæque bona expectabant. 9. Quid si occisus ei omnia remisit. 10. Quid si occisus fuerit invasor, & fugere potuerit. 11. Quid si tantum excessit moderamen. 12. Aut pugnam suaserit vel socio in sui gratiam occidere volenti non contradixerit, & ipse socius vulneratus fuerit. 13. Quid si occidat aliquem paulo post morte naturali vel ex sententia iudicis moriturum, vel ab alio lethaliter vulneratum. 14. Quid observandum Confessario homicida? 15. Pro Resolutione.

Nota: Quatuor esse genera seu ordines bonorum, ad primum & supremum ordinem pertinent bona spiritualia, ut virtus, gratia, scientia, pudicitia, innocentia, &c. Ad secundum bona corporalia, vita, sanitas, integritas membrorum. Ad tertium fama & honor; ad quartum bona fortunæ; de restitutione facienda in bonis animæ & corporis agetur in præsentibus, de reliquis ex parte actum est, & ulterius tractabitur in seqq. igitur

2. QUÆR. I. An sit obligatio reparandi damnum datum in spiritualibus?

R. Si damnum vi vel dolo injustè causatum in spiritualibus sit reparabile per bona ejusdem ordinis, ex justitia reparari debet. *Ratio est*, quia quilibet homo non minus jus habet in sua spiritualia, ne iisdem vi vel dolo injustè privetur, quàm in temporalia; ergo sicut hæc, ita & spiritualia debent reparari, si possint in eodem ordine. Dixi, vi vel dolo injustè causatum, si enim damnificatus liberè in damnum spirituale consentit, ad nihil tenetur damnificans saltem ex justitia eodem modo, sicut in temporalibus, consentienti enim non fit injuria, quamvis peccetur contra charitatem taliter damnificando, imò & charitas plerumque obligabit ad resarciendum, quantum fieri potest, & quamdiu damnum spirituale durat. Ex his

Deduces seqq. 1. Qui veneno, philtro vel maleficio aliquem privavit usu rationis vel memoriæ, debet ex justitia eundem restituere, quantum potest, congrua remedia adhibendo, maleficiam tollendo, &c. & si non possit, obligatur omnia damna ipsi læso aliisque secuta & prævisa resarcire.

3. 2. Professor Theologus, Jurista, Medicus, &c. qui falsa & nociva principia etiam bonâ fide docuit, tenetur ea, si sine gravi incommodo possit, non tantùm ex charitate, ut faterentur omnes, sed etiam ex justitia revocare, aliàs est causa damnorum inde secutorum cum obligatione pro iis satisfaciendi, *Lug. d. 8. n. 95. D. 39. à num. 24.* *Ratio est*; quamvis ista principia ab initio dederit sine sua culpa, postea

postea tamen ipso sciente causant aliis damna , ergo ex iustitia tenetur ea remove ; sicut si inadvertenter incendisset alienas ædes , ex iustitia tenetur ignem à se positum remove ; aut si dedit medicinam noxiam , tenetur eam repetere, aliàs est reus homicidii ; nam quamvis ignis ab ipso inadvertenter positus vel medicina bonâ fide præscripta ab initio erat causatura damnum involuntariè , expost tamen damnum sequitur ex eius actione voluntariè & scienter , ergo tenetur ex iustitia causam à se positam remove , & , si non removeat , compensare omne damnum inde secutum.

3. Qui vi vel fraude induxit alium ad peccatum mortale , tenetur vim & fraudem remove , juxta alios etiam , quantum in se est , seductum reducere ad pœnitentiam , ut gratiam , quam ob fraudem ipsius incautus perdidit , resipiscens recuperet.

4. Qui vi vel fraude abduxit adolescentem à religione , tenetur ad omne damnum emergens tam adolescenti , quàm religioni , & qui taliter impedit puellam à religione , prætereà excommunicatur à *Trid. Sess. 24. c. 18. de regul.* & Ratio est , quia quilibet habet jus strictum , ne vi vel fraude à consecutione tanti boni impediatur ; si verò id fiat absque vi vel fraude , v. g. ad probandam ejus constantiam , proponendo divitias & delectationes honestas sæculi , asperitates religionis , &c. non est peccatum , etiamsi alter ex hoc à bono proposito desistat , quia liberè consentit , & religio non est bonum necessarium ; si tamen vocatio adolescentis videretur quasi certa , aut vita sæcularis sciretur ei esse periculosa , foret contra charitatem ei religionem dissuadere ; quod à potiori

tenet de eo, qui suo consilio à Monasterio abstrahit professum, sicut tamen professus non peccat contra justitiam, neque ad restitutionem damnorum Monasterio secutorum obligatur, sic nec consulens, nisi usus fuerit vi vel fraude, quia Monasterium in suum professum non habet jus proprietatis sed jurisdictionis, & damnum, quod forsan causatum est, plerumque compensatur per assumptionem alterius æquè utilis vel melioris, *Salon. Bannes. Less. Illung. t. 4. D. 3. n. 59.*

6. Qui novitio absque causa negat votum ad professionem, peccat mortaliter cum obligatione restitutionis, si possit: *Ratio est*, quia Capitulares sunt quasi testes & iudices super capacitate Novitii; sicut ergo iudices ex justitia debent judicare juxta merita causæ, & testes testificari verum, sic & hi. Deinde est tacitus contractus inter novitium & religionem, ut ipse sustineat onus probationis, & contra religio eum admittat, si repertus fuerit idoneus; ergo capacem repudiando peccant contra justitiam cum onere reparandi damnum, seu denuo eum recipiendi, si velis, &c.

7. QUÆR. II. Ad quid teneatur injustus vulnerator, mutilator, occisor?

R. I. *Cajet. Sotus. Rebell. Valent.* dicunt, pro ipso vulnere, brachio, oculo vel vita amissa deberi satisfactionem pecuniariam, etiamsi nulla damna realia inde secuta sint: sed probabilius oppositum docent *Ledesma, Bannes, P. Nav. Less. Laym. Dicast. Salmant. t. 13. c. 2. punct. 6. Lug. D. 11. num. 5. Metzg. t. 12. D. 27. a. 5.* Probatur 1. ex *Exod. 21. v. 19.* ubi imponitur restitutio pro expensis in medicos & lucris cessantibus, nihil autem pro vulnere. Idem habetur. *L. ult.*

ult. ff. de his qui. Probatur 2. Ratione : quia hæc sunt bona altioris ordinis , quæ nec pecuniâ æstimari , nec ad æqualitatem (quæ est finis intrinsecus justitiæ) reparari possunt.

R. 2. Injustus vulnerator , mutilator , occisor tenetur ad omnia damna realia in bonis fortunæ secuta , juxta sequentes explicationes :

I. Reparanda sunt omnia damna ante mortem. 8. secuta , ut expensæ in medicinas & medicos , jactura lucrorum , quæ eo tempore sanus pro se & familiâ fecisset , ut si opifex , sartor vel sutor ex vulnere inutilis factus sit ad opus suum , tenetur vulnerator restituere lucrum operarum , quibus carere debuit. *L. ult. ff. de his qui affuderint.* inter damna tamen non sunt æstimandi sumptus funebres , qui aliàs mortuo impendi debuissent , nisi ratione necis extra patriam v. g. illatæ , majores sumptus fieri oportuerit , tunc enim compensandus erit ille excessus. *Metz. g. num. 8.* & quidem præfata damna non tantum reparanda sunt ipsi læso , si supervivat , sed eo mortuo etiam ipsi hæredi sive necessario sive non necessario , quia hæres facit unam civiliter personam cum defuncto , & succedit in omnia ejus jura , ergo sicut compensatio damnorum debebatur occiso , dum adhuc vivebat , sic nunc ejus hæredi : est communis & certa. *Nav. Less. c. 9. dub. 24.* quod si nulli sint hæredes , restitutio facienda est pauperibus vel ad pias causas. *C. cum tu. de usuris.* quod *DD.* communiter extendunt ad quodvis debitum restitutionis ex delicto , eò quod hæc præsumatur esse voluntas defuncti , ut , quæ restitui non possunt , ea non cedant in commodum delinquentis , sed ad pias causas in favorem animæ suæ.

9. II. Etiam damna mortem subsequenter reparanda sunt non tantum hæredibus necessariis, hoc est, uxori, parentibus & liberis, ut valde probabiliter docent *Marchant. Less. Sylvius 2. 2. 9. 64. a. 2. Salmant. l. c.* & alii; sed probabilius etiam fratribus, sororibus & omnibus iis, qui victum, amictum aut alia bona ab occiso sive gratis, sive ex debito erant habituri; non in solidum, sed secundum spem consideratis occisi viribus, ætate, arte, industriâ, periculis, &c. Si enim erat homo nobilis, otiosus, infirmus, ex cujus opera vel industria nihil sperandum erat, patet etiam nihil esse restituendum. *Vasq. Azor. P. Nav. Dicast. L. 2. 2. 2. D. 7. n. 77.* consentit. *Lug. n. 77.* si homicidium factum sit animo nocendi etiam extraneis; sed veriùs sufficit, damna hæc esse prævifa, hoc ipso enim sunt voluntaria, quamvis directè non intendantur. *Ratio est*, quamvis hi omnes non supponantur habere jus strictum ad ejusmodi bona, habent tamen jus strictum, ne per injustam vim à spe ea consequendi impediatur; à potiori tenetur occisor solvere creditoribus occisi, quia his ex justitia tenebatur satisfacere occisus; cum ergo hic ab homicida factus sit impotens, ejus loco tenetur solvere homicida: etsi id in praxi non observari testetur *Laym.* & oppositum doceat *Sylv. Less. Metzger l. c.* quæ sententia est probabilis & tuta. *Dices:* ergo homicida etiam tenebitur restituere iis, qui ab occiso erant promotiones, officia, beneficia, xenia vel eleemosynas accepturi, aut ad prandium invitari solebant, quia hi omnes per homicidium à spe horum sunt impediti, hoc autem est contra communem sensum & praxin, recte

teste *Lug. n. 75. R.* De rigore juris hæc omnia restitui debere, per accidens tamen plerumque excusatur homicida, eò quòd ea damna vel non præviderit, vel ex communi sensu censeantur remitti.

III. Si occisus ante mortem homicidæ remiserit non tantùm offensam, ut teneatur in conscientia, sed etiam omnem obligationem restitutionis; ad nihil teneri homicidam hæredibus vel aliis, qui spem habebant ad pinguiorem hæreditatem, alimenta, solutionem debiti, &c. tenet *Bannes, Diana, Sanch. L. 1. Moral. c. 4. d. 14. Salmant. sup.* etsi condonans peccare possit contra charitatem, si uxor, parentes vel filii valdè egeant: *Ratio potest esse.*

1. Quia hæredes, à potiori, qui gratis aluntur, non habent spem ad alimenta vel amplio-rem hæreditatem, nisi dependenter à voluntate occisi; sed hæc cessat factâ remissione, neque injusta vulneratio est causa remissionis, quia hanc fecit liberè, ergo.

2. Si vi impediam collatorem, quòd minus Petro det beneficium, si ex post ignoscat mihi vim illatam, & beneficium liberè det Paulo, ad nihil teneor Petro, quia collator Petrum non transit propter meam vim, sed per liberam suam voluntatem, ergo à pari, si moriens mihi omnia remittat, non meum homicidium, sed occisi remissio est causa, quòd hæredes alimentatio-
ne vel pinguiori hæreditate priventur.

3. Si occisus consenserit in duellum vel pugnam, occisor ad nihil teneatur neque occiso, neque hæredibus, ut infra dicitur, quia censetur resignare juri suo, ergo & hic.

4. Moriturus potest remittere damna ante mor-

tem secuta, v. g. expensas in medicos, neglectas operas aut etiam furtum 100. aureorum sibi à me factum absque hoc, quòd ad aliquid teneret hæredibus, etsi his obinde minor hæreditas obveniat: ergo etiam remittere potest defectum operarum post mortem, etsi obinde diminuenda sit hæreditas. *Probaturs antecedens*: si ante mortem illas expensas vel 100. aureos furto ablatos solvissem, poterat mihi eos donare, ergo & solutionem remittere.

His non obstantibus verius est, occisum tantum potuisse remittere damna sibi, non autem illata hæredibus vel aliis, qui ab ipso alimenta, hæreditatem vel solutionem debiti sperabant. *Lug. n. 63. Illung. D. 2. n. 88. Metzg. n. 16.* Ratio est, quia homicida non tantum læsit jus occisi, sed etiam jus rigorosum, quod habebant hæredes & alii, ne per vim impedirentur à spe alimentationis, hæreditatis, solutionis debiti, &c. Hoc autem jus non spectat ad occisum, sed immediatè ad hæredes & alios, ergo ab occiso remitti non potuit. *Illung. D. 2. num. 88.* *Confirmatur*: si vi vel fraude impedivisti Episcopum, quòd minùs Titio digniori conferret beneficium, quamvis Episcopus post collationem alteri factam hanc vim vel fraudem tibi remittat, nihilominùs teneris Titio satisfacere pro rata spei, quia non tantum Episcopo, sed & Titio injuriam feceras. Sed idem est in casu præsentis, ergo. *Confirmatur 2.* occisus non potest remittere homicidæ injuriam Reipublicæ vel legis violatæ, quin adhuc justitiâ vindicativâ puniri possit & debeat, ergo nec damna aliis illata.

Ad argumenta opposita R. 1. Non tantum à voluntate testatoris, sed & à potentia ulterius laboran-

boran-

borandi & acquirendi dependet spes pinguioris hæreditatis vel alimentationis; quia ergo homicida hanc potentiam occidendo sustulit, est causa, quòd hæredes & alii priventur hæreditate & alimentatione, quàm aliàs ex ejus vita & labore erant habituri.

Ad 2. N. conseq. Collator sublatâ vi meâ retinet adhuc potentiam beneficium Petro conferendi, si velit, quia beneficium supponitur adhuc vacare; si ergo tunc prætereat Petrum, id non fit ex vi à me illatâ, quæ jam cessat, sed ex libera sua voluntate; econtra moriens è vulnere à te inflictò, etsi velit, non potest ampliùs suis lucrari, ergo defectus hujus lucri non ex ejus voluntate, sed ex tua occisione contingit.

Ad 3. Consentiens in duellum non propriè resignat juri suo acquisito, sed consentiendo facit, ut contra occisorem jus ad restitutionem non acquirat; nam consentiens non patitur violentiam, ideòque nec ipse, nec ejus hæredes ab acquirenda ampliore hæreditate per violentiam impediuntur, quod tamen ad obligationem restitutionis requiritur; econtra, qui non consentit in suâ occisionem, etsi ante mortem damna remittat, attamen illa & ipse & hæredes passi sunt per violentiam & injuriam, ergo quamvis possit illata sibi, non tamen poterit damna hæredibus injuriosè illata remittere, &c.

Ad 4. Moriturus potest remittere damna ante mortem illata sibi C. aliis N. hinc, si per tuam vulnerationem vel furtum factus sit impotens solvere sua debita, vel familia ejus jam caruit alimentis aut aliis bonis alioquin ab ipso percipiendis, hæc damna à læso remitti non possunt, quia id cederet in præjudicium aliorum,
qui

qui etiam læsi sunt, & per iniquum factum tuum impediti sunt, quò minùs ea bona perciperent.

11. IV. Quòd si uxor occiso marito æquè commodè nuplit vel nubere possit, aut eâ occasione gratis ab alio alatur, occisor nihil debet uxori, quia reipsâ non fuit damnificata, & occisor non obligatur uxori, nisi quatenus ipse succedit in obligationem mariti, sed hic non tenebatur uxorem alere, si hæc aliunde habebat alimenta, ergo. Si occisus nec uxorem, nec liberos habet, neque habiturus fuisset, restitutio faciendâ est hæredibus ab intestato: si verò credebatur liberos habiturus, vel in illorum defectu alios hæredes scripturus, nihil debetur hæredibus ab intestato, quia non tam damnum, quàm commodum ex homicidio passi sunt.

12. V. Homicida per publicum supplicium à debito restitutionis non absolvitur, sed tantùm satisfacit debito justitiæ publicæ, non autem privatis injuriis, nisi fortè hæredes occisi homicidæ morte punito injuriam remittant, uti facere censentur, si morte malefactoris contenti, cum facillè possint, nihil petant. *Sot. Marchant. Less. L. 2. c. 9. d. 22. Steph. t. 4. d. 5. num. 28.* Si hæredibus nulla damna causata sint, eò quòd occisus fuerit persona inutilis, otiosa, &c. & nihilominùs Judex homicidæ imponat aliquam multam uxori vel hæredibus pendendam, ad illam ex justitiâ obligabitur, non quasi debeatur restitutio pro ipsa læsione corporis, sed ex eo, quòd uxor vel hæredes occisi per sententiam Judicis acquisierint jus ad multam in pœnam delicti. *Lug. l. cit. Sporer t. 5. c. 3. à n. 236.* V. dicenda n. seqq.

VI. Si

VI. Si læsus vel occisus liberè in pugnam vel ^{13.}
duellum consensit, ad nihil tenetur occisor,
quia censetur juri suo ad petendam satisfactio-
nem renuntiâsse; idem est, si læsus vel occisus
sine gravi damno vel infamia fugere potuit, sed
noluit, volens se defendere; nam quamvis in-
vadens tunc sit verus homicida, non tamen te-
netur ad damna ex homicidio secuta, quia oc-
cisus non fugiendo, cùm facillè posset, in pu-
gnam consensit. Secus si metu gravis infamiæ vel
damni fugere non potuerit; quòd si ipse inva-
dens occidatur, ad nihil tenetur invasus, eti-
amsi fugere facillè potuerit, licèt enim tunc pec-
cet non tantùm contra charitatem, ut vult *Mo-
lina, Sporer n. 217.* sed etiam contra justitiam,
quia quilibet habet jus ad vitam, neque huic ju-
ri renunciare potest, cum non ipse, sed solus
Deus sit ejus vitæ dominus; qui nunquam per-
mittit occidere privatâ autoritate, nisi pro ne-
cessaria defensione; sed defensio non est neces-
saria, ubi quis commodè fugere potest, ergo:
non tamen tenetur reparare damna, quia occisus
hoc ipso, quòd alterum invaserit, in hæc
damna consensit, sicut consentit provocans ad
duellum. Idem est, si ab alio, quia eum con-
vicio affecisti, vel quia te in adulterio deprehen-
dit, impetaris, & fugere non possis, potes te
defendere, & si opus est, occidere, nec teneris
ad restitutionem, quia alter injustè te aggredi-
tur, & hoc ipso in periculum consensit. *Sylvest.
Less. Bannes. 2. 2. q. 64. a. 8. q. 1. Dicast.
num. 93.*

VII. Qui in defensione etiam justa excedit ^{14.}
moderamen inculpatae tutelæ, tenetur ad dam-
num ex illo immoderamine emergens, v. g. Ti-
rius

tius Cajum per unum vulnus ita læsit, ut ampliùs nocere non possit, si superaddat secundum, vel ipsam mortem, tenetur ad omne damnum ex secundo vulnere vel ipsa morte secutum; tum quia hæc damna causavit per gravem injuriam; tum quia aggressor, etsi consenserit in pugnam non tamen in illum excessum, eodem modo provocatus ad duellum, etsi in ipsum duellum consentiat, non tamen in hoc, ut à provocante contra leges duelli occidatur, vel plus æquo lædatur, ideòque sic occidens vel plus æquo lædens tenebitur ad damna inde orta. Nec dicas, eo ipso, quod simpliciter in pugnam vel duellum consentiat, renuntiat juri suo ad petendam satisfactionem, uti dictum est sup. n. 13. nam *R.* renuntiat juri pro casu, quo non exceditur moderamen, & nil agitur contra leges pugnae vel duelli *C. Secus N.* Si inistes, saltem se liberè exponit periculo mortis & damnorum, ergo satis in ea consentit. *R.* Satis consentit, ut peccet *C.* ut resignet juri ad satisfactionem modo jam dicto *N.* Sicut, qui pecuniam minùs cautè custodit, exponit quidem eam periculo ablationis, non tamen sic resignat juri, ut auferens non teneatur restituere, ita hìc.

15. VIII. Si Cajo suadeas pugnam vel duellum, in quo Cajo læditur vel occiditur, ad nihil teneris Cajo, nisi consilium fuisset fraudulentum, quia liberè consensit: si verò tertius ex tuo consilio invitatus & injustè lædatur, mutiletur, &c. teneris in defectu principalis refarcire damna, quia causa es, quod hæc injustè & invitatus patiatur: si te cum Titio pugnante tertius se pugnae immisceat & lædatur, nec Titius nec tu ad aliquid teneris, quia sponte se periculo exponit; si verò

tc

te injustè pugnante adjuvare, & adversarium tuum in tuâ gratiam occidere velit, si non contradicas, cum possis, censeris implicitè occisionem mandare, quia propter tuam taciturnitatem putat id tibi placere, & ideò movetur ad occidendum in tuâ gratiam; ergo teneris ad damna per ipsum illata.

IX. Qui occidit Cajum paulò post morte naturali, vel ex justa Judicis sententia certò moriturum, etsi sit verus homicida, non tamen tenetur restituere, nisi quanti inter fuit eum citiùs esse occisum; si verò occidat Cajum injustè occidendum ab inimico, tenetur ad omne damnum secutum. Ratio est; quòd in priori casu illa damna absque eo erant justè secutura absque onere restitutionis, in secundo verò casu erant secutura injustè cum onere restitutionis; qui ergo primò injustè occidit, & ista damna voluntariè causat, tenetur etiam pro iis restituere. Si Cajus ex vulnere accepto à Titio erat certò moriturus; si superaddas aliud, ex quo citiùs moritur, tantum teneris restituere, quantum nocuit citiùs fuisse occisum, sicut si domui conflagranti & sine spe auxilii certò exurendæ adjicias ignem. Ratio est; quia illa damna antecedenter erant quasi causata, & tua vulneratio, etsi injuriosa sit, novum damnum non causat, &c.

X. Confessarius, antequam homicidam absolvat, reflectere debet ad sequentia:

Primò, quis occiderit vel mutilarit; nam omnis voluntariè occidens vel mutilans, aut etiam mandando, consulendo, arma præbendo, aliterve cooperans fit irregularis, & quidem in hac irregularitate ex homicidio voluntario etiam occulto proveniente solus Papa dispensare potest: & qui

qui in irregularitate S. Ordines suscipit, vel in susceptis ministravit, toties quoties novum peccatum mortale admisit. De irregularitate ex professo dicam Cas. 117.

2. *Quis* occisus fuerit, an pater, mater, filius vel alia persona proximè conjuncta, est enim tunc speciale peccatum contra pietatem: An Clericus, Episcopus, Archi-Episcopus, &c. quia tunc præter speciale peccatum sacrilegii incurritur excommunicatio Papæ reservata.

3. *Quo loco* occisio vel vulneratio facta sit, an in Ecclesia, tunc enim habet speciem sacrilegii, & si facta est immodica & injuriosa sanguinis effusio, Ecclesia est polluta.

4. An & quot socios ad alium lædendum adhibuerit, nam tot commisit peccata scandali.

5. Quanto tempore alium occidere vel lædere intenderit, quoties intentionem renovarit, toties enim admisit distinctum numero peccatum. Ratio horum est, quia Confessarius debet cognoscere numerum & speciem peccatorum, & posse imponere proportionatam pœnitentiam, sed hoc fieri non potest, nisi ad præmissa intendat, ergo.

6. Quamvis verior sit sententia, quòd homicida ex justitia nihil teneatur restituere pro vita occisi, meritò tamen consulunt DD. ut Confessarius homicidæ imponat opera spiritualia, preces, sacrificia, eleëmofynas per aliquot annos applicanda animæ occisi, sive ad hæc ex justitia obligetur, sive ex sola charitate.



C A S U S XLIII.

De Restitutione ex stupro
& adulterio.

Y Sander vi, metu, mendacibus promissis, impertunis precibus seduxit Wagiam. *Quæritur*
1. An teneatur eam ducere, vel sufficiat dotare. Item an teneatur ad totam dotem. 2. Quid si res manserit occulta, vel tandem per ipsum stupratorem pro-palata. 3. Quid si stuprator ipsam ducere velit, sed ipsa nolit, an teneatur adhuc dotare. 4. Quid si dotare non possit, an teneatur ducere. 5. Quid si existat in voto vel impedimento. 6. Quid si deflorata invito patre ipsi omnia remittat. 7. Quid si ipsa per solos tactus & oscula infamata sit. 8. Quid si liberè vel ex metu reverentiali in copulam consensit, & obinde pater cogatur ejus dotem augere. 9. Quid si nata sit proles, & procius neget se esse Patrem, aut neget eam fuisse virginem, vel probet plures cum eam rem habuisse. 10. Quid si sub vera vel ficta spe matrimonii defloravit. 11. Quid si ipsa vel ipse existat in voto. 12. An teneatur dotare, si non possit obtinere dispensationem, vel ipse sit longè nobilior vel ditior. 13. 14. Quid si ipsa se finxit virginem, vel saltem ipse credidit esse talem, vel dubitavit. 15. Quid si ex post fornicata est cum alio. 16. Quid si parentes nolint, ut defloratorem ducat, eò quòd sit minus dives. 17. Quid si ex matrimonio timeantur scandala, discordiæ?

18. Casus appertinens: De restitutione ex adulterio. Idem Sander dicitur suscepisse prolem ex aliena conjuge. *Quæritur*, quis teneatur prolem

G g

lem

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. II.

lem alere, aliaque damna compensare. 19. Quid si adultera non habeat bona propria. 20. Quid si restitutio fieri non possit sine manifestatione adulterii. 21. An filius teneatur credere matri asserenti ipsum esse spurium. 22. Quid si mater sit prostituta fama, vel tantum debeat se infamare apud filium. 23. Quid si mater filius discat: unus ex vobis est spurium, & filii nolint, ut spurium nominetur, an mater sit libera. 24. Quid in dubio, an proles sit adultera. 25. Quid si proles certo sit adultera, sed dubitetur, quis ex pluribus adulteris sit pater. 26. Quid si mater prolem exponat ab alio alendam?

Suppositis iis, quæ dixi Cas. II. a. n. 4. videlicet quod stuprum proprie dictum sit concubitus cum fœmina vel potius virgine invita seu non consentiente; et si etiam sæpe sumatur in sensu latissimo pro quolibet concubitu illicito. Adulterium autem sit concubitus cum alieno, vel aliena conjugē.

I. QUÆR. I. Quid restitui debeat pro illato stupro, defloratione?

Re. I. Qui vi, fraude, vel metu puellam ad copulam induxit, tenetur disjunctivè eam vel in matrimonium ducere, si ipse & ipsa velit, vel omnia damna inde secuta resarcire, v. g. prolem alere, defloratam dotare, non quidem in toto, sed dotem aliàs à patre dandam ita augere, ut æquè commodè & utiliter nubere possit, ac si non fuisset corrupta; & si corruptor se ad hæc offerat, non tenetur eam ducere ante iudicis sententiam, etiam si id ipsa vel parentes urgeant. Navar, Bannes. Sylvius. q. 62. a. 2. Sporer. Theol. Sacram. p. 4. c. 2. à numer. 59. Pirhing. lib. 5. decret. t. 16. num. 44. Engel. ibid. num. 11. Reiffenstul. L. 4. t. 1. num. 71. colligitur ex c. 1. de adult. & stupro. Ratio est. quia

quia deflorator matrimonium determinate non promisit, ergo satisfacit si defloratam vel ducat, vel ita dotet, ut æquè utiliter ac antè nubere possit. Ex his deduces seqq.

1. Si deflorata nullum damnum passa est, eò quòd res manserit occulta, & æquè honestum ac utile matrimonium consecuta sit, ad nihil tenetur injustus stuprator; non enim debet aliquid pro integritate corporis, quia hæc est irreparabilis & pretio non æstimabilis; neque pro damno temporali, quia supponitur nullum esse fecutum, nisi deflorationem occultam revelando; eam diffamasset, & ab honesto conjugio impedivisset, tunc enim teneretur non tam ex defloratione, quàm diffamatione eam ducere vel dotare. *Vasq. Less. Lugo d. 12. à n. 6.*

2. Si corrupta stupratorem ducere nolit, adhuc tenetur eam dotare, quia injuriam stupri passa est, & Innocens ad matrimonium, quod maximè oportet esse liberum, sine nova injuria cogi non potest, c. 1. de adul. & stup.

3. Si injustus corruptor vitiatam dotare, vel damna compensare non possit, tenetur, si ipsa velit, eam ducere, nisi magnus ex parte sua foret conditionis excessus; *Ratio est*, quia eam injuriosè à congruo matrimonio impedivit, ergo si damnum pecuniâ compensare non possit, tenetur eam ducere; etiamsi existat in voto vel alio impedimento, v. g. consanguinitatis, affinitatis &c. modò in ea dispensari soleat, & adsit causa dispensandi; quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media ordinaria & necessaria, quale hic est petitio dispensationis.

4. Potest corrupta, etsi adhuc sub patria potestate constituta, patre invito hanc obligatio-

- nem stupratori remittere, quia patri nulla facta est injuria, & ipsa juri suo cedere potest, cum ei liberum sit à nuptiis abstinere. *Pirh. n. 52. Lauterbach. Carpzov. apud Leuren. l. 5. q. 294.* quæ dicta sunt de iniquo stupratore, etiam intellige de eo, qui quidem puellam non corrumpit, sed vi, metu, fraude aut fictâ matrimonii spe induxit ad oscula, tactus, vel familiaritatem, ex quibus infamata pari nubere non potest, secus si absque vi vel fraude in hæc consensit.
8. *R. II. Si puella absque vi vel fraude solis blanditiis, donis, aut importunis precibus persuasa in copulam consensit, deflorator eam nec ducere nec dotare tenetur. Less. Vsq. Lug. l. c. Hauss. ro. 6. tr. 2. numer. 591.* quia dona & preces nequidem secundum quid actum faciunt involuntarium, liberè autem consentienti nulla facta est injuria, neque ejus parentibus, quia non hi sed ipsa quoad ejusmodi usum est corporis domina; nec obstat, quòd obinde pater dotem augere debeat, ut possit filiam in matrimonio æquè bono collocare; nam ad hoc non tenetur, & si sponte id facit, damnum volens patitur; sicut ergo filia consentiendo in stuprum non peccavit contra justitiam, sic nec stuprator, qui tamen obligatur prolem, si quæ nata est, alere, *c. 5. de eo qui duxit*; imò in foro externo cogitur defloratam, etsi liberè consenserit, dotare, vel eidem aut ejus parentibus mulctam solvere; & si neget eam fuisse virginem, aut se non esse patrem prolis, ipsi incumbit probatio; nam hoc ipso, quòd convictus vel confessus fuerit de copula, præsumitur pater, nisi monstrare possit alium; quòd si plures cum eadem copulam haberint, recurritur ad circumstantias, cui nimirum

rum

rum vel tempus partus, vel physiognomia magis respondeat, quin & favore prolis, ne defectu alimentorum intereat, juramento mulieris creditur, Engel. n. 20. Si neget se habuisse copulam; mulieri id affirmanti incumbit probatio; neque nudæ ejus assertioni etiam juratæ creditur: si probabiles conjecturas & indicia adferat, quæ semiplenam solum faciant probationem, deferatur viro juramentum ad purgandam suam innocentiam; si verò puella omnino nihil probet, nec juramentum viro deferatur, sed simpliciter absolvitur. Vide Schmalzg. l. 5. c. 16. aliosque sup. cit. si virgo consenserit quidem in copulam, sed præ verecundia ausa non fuerit contradicere, eò quòd rogans sit herus, Dominus, patronus aut vir magnæ authoritatis, deflorator adhuc tenetur eam disjunctivè vel ducere, vel dotare juxta dicta sup. n. 1. quia non liberè, sed ex metu reverentiali consensit Vasq. Molin. Gonzales. Leuren. L. c. Reiffenst. n. 75.

Re. III. Qui sub spe vel promissione matrimonii foeminam ad copulam induxit, per se loquendo tenetur eam ducere, nec satisfaciè offerendo pecuniam, nisi foemina ultro consentiat. Ratio est, quia promissio fuit de danda ipsa persona, & post concessum corporis sui usum foemina in ipsam personam jus acquisivit, ergo invita cogi non potest ad acceptandam loco personæ pecuniam; sicut si ex contractu vel delicto deberetur vestis, cogi non posset ad acceptandum loco ejus æquivalens: nec obstat, quòd forsitan fictè promiserit, nam fictè promittendo injuriosè subtrahit consensum, quem altera pars posuit, & insuper corpus suum tradidit, ergo cum possit restituere ponendo consensum, & eandem

II. ducendo, ad hoc tenebitur. *S. Th. in 4. D. 48. a. 2. ad 3. Sanch. de mat. l. 1. d. 10. num. 3. Engel. Pirhing num. 56. Reiffenst. num. 115.* Nec potest ingredi religionem, licet eandem vel etiam castitatem ante vel post eam promissionem vovisset, quia deflorando puellam sub spe matrimonii renuntiavit statui perfectiori, & votum solum obligat ex virtute Religionis, promissio verò deflorata servari debet ex justitia, in concursu autem utriusque obligationis prævalet obligatio justitiæ, ut si vestem ex voto debeas pauperibus, eandemque ex contractu vel delicto debeas alteri, prius huic, quam pauperibus præstanda est. *Lugo à num. 41. Sporer. num. 601. Leur. qu. 295. Dices cum Ledesma, Perez, Schmalzgr. l. 4. t. 1. num. 32.* Talis non tenetur vi promissionis, quia hæc supponitur esse invalida, neque ratione damni caulati, quia hoc per dotem, vel aliter resarcire potest. *B.* Tenetur ratione consensûs injustè subtracti, quæ tenetur renovare, sicut qui subtraxit equum non satisfacit offerendo pecuniam, sed debet dare ipsum equum; *cum aliud pro alio invito creditori solvi non possit L. 2. §. mulier ff. de rebus creditis.*

Dixi, *per se loquendo*, nam deflorator à ducenda deflorata variis ex causis excusari potest:

II. Ut 1. Si habeat votum vel impedimentum indispensabile, v. g. sacros Ordines, professionem Religiosam; aliud matrimonium &c. tenetur tamen defloratam tunc dotare, si ipsa impedimentum ignoraverit, quia fraudulenter eam corrumpit, secus si ipsa fuerit conscia impedimenti indispensabilis, tunc enim censetur voluisse decipi, excipe & nisi aliter sit inter ipsos conventum.

ventum.

ventum, nam si ipsa sciverit quidem impedimentum, attamen copiam corporis aliter dare non voluerit, quam ut deflorator v. g. Clericus eam dotet, vel certam pecuniæ summam præstet, expleto opere turpi clericus ad hoc tenebitur. Si votum vel impedimentum sit dispensabile, & adit causa dispensandi, deflorans sub promissione matrimonii probabilius tenetur defloratam ducere, vel enim ipsa fuit conscia voti aut impedimenti, & tunc prudenter credere potuit, quod deflorator promittendo matrimonium se se obligaret ad petendam dispensationem, qui enim se obligat ad finem, hoc ipso se obligat ad media necessaria, & sub ea conditione dedit copiam sui corporis, non datura, si scivisset se relinquendam: vel non fuit conscia impedimenti, & tunc deflorator non tantum tenetur vi promissionis, sed & ex fraudulenta damnificatione: *Sic dicitur* 1. Promissio matrimonii supposito voto est de materia illicita, & per consequens nulla. 2. Si deflorata fuit conscia voti, voluit decipi, ergo ad nihil obligatur deflorator: ita probabiliter *Diana. Laym. Pontas. R. Neutrumsque aff.* Nam promissio non est de contrahendo matrimonio simpliciter, sed sub conditione impetrandæ dispensationis, quod utique licitum est; nec fœmina conscia impedimenti voluit decipi, quia prudenter credidit petendam fore dispensationem.

2. Si deflorator sit longè excellentioris statûs vel conditionis, v. g. vir illustris, nobilis, officio vel dignitate conspicuus, cum ipsa sit ancilla, rustici vel opificis filia, non tenetur eam ducere, etiamsi fictâ promissione eam deceperit, quia damnificator injustus non tenetur cum tam

inæquali detrimento ; imò nec tenetur eam dotare , si ipsa ob verborum ambiguitatem & inconstantiam , vel ob notitiam inæqualitatis fictionem facile advertere potuerit , quia tunc volens decepta est , *Sanct. n. 5. d. 10. Pirh. n. 57.* contra *Pontas Verb. Fornicatio cas. 3.* ubi dicit quod deflorator teneatur eam saltem dotare ; sed vera manet ratio nostra , quòd volenti & fraudem advertenti nulla fiat injuria ; ergo non est unde defloratori imponatur hic obligatio eam dotandi. Aliud est si ipsa inæqualitatis fuit ignara , aut ipse seriò promisit , vel saltem ob sincerationes credebatur non obstante dispari conditione matrimonium seriò promittere , tunc enim tenetur eam ducere vel dotare , quia quantum in se est , statui excellentiori renunciavit , & ipsa ex parte sua contractum onerosum implevit , ergo & ipse tenetur eum implere. *Navar. Usq. Less. Laym. Resiffenst. num. 123. contr. Sanct. Pirh. n. 57.*

3. Excusatur , si deflorata etiam deflorantem deceperit fingendo se virginem , divitem , nobilem , &c. si ipsa se talem non finxit , sed ipse errore deceptus credidit esse virginem , & ideo matrimonium seriò promisit , adhuc in foro conscientia non erit obligatus eam ducere , quia defloratio sponsæ ab alio sive ante sive post promissionem facta est sufficiens causa dissolvendi sponsalia ; ut pluribus dicitur *c. 104. n. 22.* ergo si præviè deflorata fuit , promissio secundi defloratoris , sive erat sponsalitia proprie , sive non , absolute non ligat. Si tamen fictâ promissione copulam extorsit , & difficultas ad nuptias inde secuta sit , tenetur dare aliquid , etsi non tantum , quantum , si fuisset virgo. *Less. Sanct. num.*

num.

num. 11. Dicast. hic num. 144. imò si dubitans, vel sciens esse corruptam, matrimonium ei pro usu corporis promissit, eam ducere tenetur.

4. Excusatur, si mulier postea fornicetur cum alio, quia hoc ipso renuntiat suo juri. 15.

5. Ad nihil tenetur deflorator, si deflorata, vel ejus parentes nolint consentire in matrimonium cum defloratore; quia hic solum matrimonium promissit, & nihil aliud, ergo si hoc præstare velit, sed non possit, est liber. Sanchez. num. 15. nec obstat, quòd forsan fictè promissit, quia tunc tantùm tenetur renovare consensum, quem per fictionem subtraxit, hic autem consensus nihil prodest defloratæ, si defloratorem ducere nolit, sicut si pro copula fictè promississet centum aureos, solum tenetur dare hos aureos, & si ipsa eos acceptare nolit, non tenetur eam ducere, vel plus dare, nisi finxerit se esse conditionis notabiliter melioris, quàm est, tunc enim ob iniquam deceptionem tenetur eam dotare. 16.

6. Si ex tali matrimonio timeantur gravia scandala, odia, vel similia mala, non tenetur defloratam ducere, neque dotare, nisi vi fraude aut fictâ spe matrimonii copulam obtinisset, tunc enim teneretur non ad matrimonium, quòd ob scandala & odium inire non potest, sed ad damna ex defloratione orta, quia hæc injustè causavit; si verò matrimonium seriò promissit ad nihil tenetur, non ad matrimonium, quia ab illo justè excusatur, neque ad damna, quia horum non est causa injusta. 17.

QUÆR. II. Quæ sit obligatio adulteri & adulteræ? 18.

R. Pars innocens non tantùm potest in foro ex-

G g s

terno.

terno agere ad divortium perpetuum & amissionem dotis vel donationis propter nuptias, ut patet ex l. 4. decret. tit. de divortis, sed etiam in foro conscientie tenentur adulteri per se loquendo compensare omnia damna conjugii innocenti vel legitimis prolibus inde secata: ut si ex adulterio proles sit nata, tenetur eam primo triennio alere adultera, ex post solus adulter; si verò proles adulterina inter legitimas sit educata, dotata, ad hæreditatem admissa, &c. tenetur uterque adulter in defectu alterius in solidum satisfacere, marito pro alimentatione & dotatione, filiis legitimis pro diminutione hæreditatis, pro majoratu, fideicommissis, aliisque privilegiis debitis soli primogenito, aut aliis filiis legitimis, ex errore autem collatis filio adulterino; & quidem uxor adultera restituere debet ex bonis paraphernalibus aliisque propriis, tantundem relinquendo, donando vel legando marito, aut prolibus legitimis, vel si non habet bona propria, compensare debet exactiore diligentia & parsimonia, sibi attento statu quid subtrahendo de minus necessariis, aut si nec hoc sufficiat, tenebitur quantum potest spurio, modò ad hoc idoneus sit, persuadere; ut relictâ hæreditate amplectatur statum Ecclesiasticum vel Religiosum.

19. Dixi per se loquendo, nam sicut alii, ita & adulteri ex pluribus causis à restitutione excusari possunt:

1. Ob inopiam & defectum mediorum.
2. Si restitutio fieri non possit, quin mater cum sua vel gravi prolis infamia aut vitæ discordiarumque periculo crimen occultum manifestet. Scotus in 4. dist. 44. Laym. l. 3. t. 3 p. 3. c. 14. & manifestè colligitur ex c. officii de pœnit.

Græmif. ubi dicitur, quòd mulieri non sit de-
 neganda pœnitentia, quæ ob similem timorem, pro-
 lem ex adulterio conceptam, non vult marito fa-
 cere; Ratio est, quia tunc adest impotentia mo-
 ralis, & non est obligatio restituendi tempora-
 lia cum gravi jactura in bonis altioris ordinis,
 uti hic cum periculis famæ vel vitæ accedit quòd
 ejusmodi criminis revelatio sit plerumque inuti-
 lis, quia filius est in possessione legitimitatis, nec
 in conscientia quidem cum tanto suû præjudicio
 tenetur credere matri etiam juranti, se ex adul-
 terio conceptum, nisi ipsa id per idoneos testes,
 & talia indicia probet, quæ etiam in foro exter-
 no sufficerent ad pronuntiandum filium esse ille-
 gitimum, quia forum externum, quamdiu non
 scitur inniti præsumptioni falsæ, etiam in con-
 scientia locum habet, & certè, si motiva non
 sufficiant, ut Judex juste excludat filium à pos-
 sessione filiationis legitimæ, quomodo sufficiant,
 ut filius se suo judicio excludat, maximè cum
 ipsa mater errare, aut ex maligno in hunc, &
 nimio affectu in alios filios id asserere possit. *Suar.*
Bonac. Vasq. Molinat. 3. d. 101. Lug. d. 13. n.
62. Sporer. num. 555. Si tamen adultera sit mu-
 lier prostitutæ famæ, aut tantum apud unum
 vel alterum virum taciturnum, vel solum filium
 deberet crimen suum manifestare, ad hoc tene-
 bitur, si agatur de damno valde notabili, & spes
 sit, quòd filius spurius aliis fratribus sit satisfac-
 turus, quia hæc infamatio non est tanta, quin
 eam mater pro reparando ingenti damno subire
 debeat; imò si filius Reginæ primogenitus fo-
 ret spurius simul & hæreticus, vel aliter Reip.
 gravissimè nociturus, obligaretur etiam cum pe-
 riculo vitæ id revelare, modo fructus inde pru-
 den-

21.

22.

denter sperari posset; *Sylvius q. 62. a. 6. q. 7.*
La Croix. l. 3. n. 332.

23. 3. Excusantur, si maritus & filii legitimi prudenter præsumantur damna remittere, eò quòd ex matris vel mutuo amore malint alium habere cohæredem, quàm crimen cum infamia matris & familiæ detegi, ut non raro contingit;

24. *sed quid, si mater suis filiis dicat: unus ex vobis est spurius, filii autem nolint, ut nominetur an mater tunc erit libera? R.* Si hoc faciant, quia singuli sibi timent, mater non est libera, quia filii legitimi timore injusto coacti remittunt, cum tamen ipsi nullum verè periculum habeant illegitimitatis, sed solum metuunt propter modum illum, quo mater illos vult cogere ad remittendum; secus si id faciant ex amore erga matrem, vel erga se invicem, etiam remissuri, quamvis scirent, quis esset illegitimus. *Covarruv. Lugo n. 42.*

4. Si mater ob vicinitatem copulæ cum marito & adultero habitæ dubitet, an ex marito vel adultero conceperit, ad nihil tenentur adulteri, etiamsi maritus nullas antea proles ex uxore genuerat, aut uxor putet se ex adulterio concepisse, quia mulier in hoc errare potest, & in dubio præsumitur in favorem matrimonii & proli, quæ est in possessione honestatis. *Scot. Salon. 2. 2. q. 62. a. 6. Gobat. in Theol. jurid. mor. c. 28 n. 86. Lugo n. 17.* Si certum sit, prolem esse adulterinam, sed sciri non possit, quis ex pluribus adulteris, quos mulier circa idem tempus admisit, sit pater proli, adultera tenetur mediam partem portionis hæreditariæ legitimis prolibus subtrahæ compensare, aliam mediæ partem unà cum alimentis post triennium causatis tenen-

tenen-

tenentur adulteri; quia certum est, unum ex
iis esse Patrem, & est æquale dubium de singu-
lis, ergo etiam singuli in defectu aliorum tenen-
tur restituere; *nec obstat*, quòd aliàs in dubio,
an quis damni causa sit, ad nihil teneatur: nam
hic singuli sunt causa istius incertitudinis, quæ
impedit, quominus restitutio ab uno determi-
nato exigi possit, & singuli volendo copulam
intotum damnus consenserunt. *Rebel. l. 3. q.*
10. Dicast. num. 159. La Croix num. 337.
contra Gobat. c. 27. n. 48. Karadine & alios.
Sidicas, sola mater admittendo plures circa
idem tempus est causa dubii, & causa, quòd ab
uno determinato Restitutio exigi non possit, &
singuli de aliorum concubitu fortè non scive-
runt, ergo sola mater tenetur ad totum dam-
num. *z. N. Ass.* singuli, quantum est in se,
sunt causa totius damni, etiam si alter de altero
non sciat, sicut si plures eodem tempore explo-
dant in Petrum, vel ignem in ejus tectum inji-
ciant, singuli sunt causa homicidii & incendii
etsi non constet ex cujus actione damnus secu-
tus sit.

3. Quid si adulteri prolem exponant ab aliis
alendam? *R.* Id per se loquendo non licere, si
tamen defectu mediorum, vel metu infamiae
prolem alere non possint, licitè deponent ad
domum communem orphanorum, quia illum
in finem ejusmodi domus communiter fundan-
tur, nisi aliunde constet fundatas esse pro
certa tantum natione vel
civitate.



CASUS

CASUS XLIV.

De Restitutione famæ & honoris.

Zarus, super restitutione famæ anxius quærit: 1. An fama restitui debeat? 2. An filius obligetur pro parente, an heredibus læsi? 3. Quid si graviter infamavit cum levi vel nulla culpa? 4. Quid si infamantia dixit de Petro, audientes autem intellexerunt de Paulo? 5. An sufficiat infamatum laudare in alia materia? 6. An debeat dicere se esse mentitum, an jurare, adhibere testes, an revocare cum periculo vite vel fame? 7. An apud auditores mediatos? 8. Quid debeat pro honore læso? 9. Quid si ex detractioe damna realia sint secuta, aut etiam mors? 10. Quid si infamia sit oblivioni data, vel fama recuperata? 11. Quid si crimen expositi fiat publicum? 12. An fama compensari debeat per pecuniam? 13. Quid si læsus revocationem remitteret, si rogaretur? 14. Quid si reciprocè se infamârint? 15. An per modum defensionis liceat occultum alterius crimen manifestare? 16. An falsum affingere? Pro resolut.

I. QUÆR. I. Quid sit fama, honor, item an & qualiter læsa restitui debeant?

R. I. Definitionem famæ & honoris dedi cas. 36. ubi etiam de vitiis iisdem oppositis ex professo dictum fuit.

R. Quoad restitutionem famæ vel honoris læsi accipe regulam sequentem certam & ab omnibus receptam: *Omnis, qui per detractioem alterius famam, vel per calumniam alterius honoris*

notens

horem injustè læsit, tenetur efficaciter restituere famam, honorem & omnia damna realia inde secuta; Ratio regulæ est, quia damnum famæ & honoris est reparabile, & quilibet jus habet in famam & honorem æquè, ac in bona temporalia; ergo sicut hæc injustè læsa reparari debent, sic & fama honorque.

Dicitur 1. Omnis, qui læsit; nam obligatio restituendi famam est personalis, nec transit ad hæredes nisi ex speciali pacto, ut si moriturus filio vel hæredi committat, & hic suscipiat obligationem restituendi famam à defuncto læsam; similiter fama restituenda est soli læso, non autem hæredibus, nisi infamia defuncti in eos redundet, ut si dixeris defunctum genuisse hos filios ex adulterio, tunc & filiis fama restituenda est.

Dicitur 2. Qui injustè læsit; nam si læsio famæ sit justa, eo quòd crimen sit publicum, vel criminis occulti revelatio sit necessaria pro avertendo malo Reip. vel innocentis, nulla debetur restitutio. *V. Cas. 36. n. 5. § 15.* si læsio est injusta in materia levi, debetur restitutio sub levi, in materia gravi sub gravi;

At quid, si graviter quidem læsisti famam, sed absque omni culpa, eo quòd crimen à te narratum bonâ fide credebas esse publicum, vel defectu deliberationis & advertentiæ cum culpa levi? & Si absque gravi incommodo famam restituere possis, ad hoc teneris non tantum ex charitate, quod tibi est commune cum omnibus, qui etiam nullam infamiæ causam dederunt, & apud omnes est in confesso, sed etiam ex justitia. *Less. Laym. c. 7. n. 1. Tamb. l. 9. c. 3. §. 3. Lugo d. 15. à n. 3. Sooter. in dec. t. 5. c. 4. n. 86.* Ratio est, quia justitia non tantum obligat ad non

ponen-

ponendam causam proximo damnosam, sed etiam ad auferendam jam positam, hoc ipso enim quod scias causam v. g. revelationem occulti criminis à te etiam inculpabiliter positam alteri inferre damnum, & non removeas cum facile possis, censeris damnum illud approbare & velle, tenerisque restituere; sicut si tuus bos te nesciente incipiat nocere frugibus proximi, si ex post id rescias, & non abigas, damnum à tempore scientiæ causatum tibi fit voluntarium cum obligatione restituendi; item bonâ fide alicui posuisti ignem, ex quo postea advertis oriri incendium, loco medicinæ porrexisti venenum, si incendium, vel mortem non impedias, cum facile potes, in conscientia es incendiarius & homicida.

Dices 1. Talis diffamator non tenetur ex re accepta, cum ex fama aliena nihil possideat, neque ex delicto vel contractu, quia formalis culpa aut contractus non intercessit, ut supponitur, ergo.

2. Si alterius ædes sine culpâ exussi, ad nihil teneor; ergo à pari, si absque culpâ destruxi alterius famam.

3. Si bos meus me ignorante perdat alienas legetes & ego superveniens cum non prohibeam non teneor ad primum damnum me nesciente illatum, sed tantum ad illud, quod ex post infert me sciente; quod si me sciente novum damnum præter primum non inferat, ad nihil tenebor, quia primum damnum mihi non est imputabile; ergo à pari, si primò sine culpa famam læsi, & post me advertente ex mea actione nova infamia non sequatur, ad nihil teneor: ecce sententiam verè probabilem & in praxi tutam, quam *Dicast. de Restit. d. 12. n. 162.* dicit probabilissimam;

Sed

Sed R. ad 1. obligationem oriri tum ex re quasi accepta ; detractor enim famam alterius quasi detinet apud se , usque dum per revocationem quasi ex suo eam reddat ; tum maxime ex injusta damnificatione , quæ quidem ab initio formaliter injusta non est , sed fit talis per voluntariam continuationem.

Ad 2. Est disparitas , quòd actio exultiva ædium nec ab initio nec ex post fiat voluntaria , ut supponitur.

Ad 3. Iterum disp. est , quòd mea detractio , si non revocetur , cum potest , pergat me sciente & volente causare totum & idem damnum in fama , quod antea causarat me ignorante , ergo totum illud damnum teneor reparare ; econtra bos me præsentem non infert idem damnum , quod antea intulerat , sed plane novum , ergo sufficiet restituere damnum novum , quod meus bos me sciente & non prohibente intulit.

Sed denique quid , si infamantia loquebaris de Petro , audientes autem intelligebant de Paulo , an teneris famam reparare Paulo ex justitia ; nam quòd tenearis ex charitate , si absque gravi incommodo possis , indubitatum est : Negat *Less.* quia obligatio restitutionis oritur ex sola formali injuria ; Paulo autem non fecisti injuriam formalem , sicut si volens occidere equum Petri inimici tui , præter intentionem occidas equum Pauli amici : At melius affirmant *Molina & alii* ; nam quamvis tua actio ab initio non fuerit causa formalis & voluntaria damni ut Paulo illati , quia tamen te sciente pergit nocere , si eam non removeas , quando facile potes , fiet tibi causa damni voluntaria & obnoxia restitutioni ; sicut si vo-

H h

lens

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. 2.

lens incendere horreum Petri casu incendas horreum Pauli, si advertens errorem, incendium, cum potes, non restinguas, totum damnum tibi fit imputabile cum obligatione satisfaciendi Paulo.

5. *Dicitur* 3. Tenetur *efficaciter* restituere, ita ut infamatus bonum nomen suum in effectu recipiat, ideoque, si aliquem sive vera & occulta, sive falsa narrando infamasti, non satisfacis eum in alio genere laudando. v. g. dixisti Petrum esse homicidam, non est satis, si dicas eum esse castum, quia per famam castitatis, nequidem partialiter, tollitur infamia homicidii; sed debes dicta revocare, dicendo te injuriam fecisse, te male fuisse informatum, te errasse errore scilicet practico &c. Si vera dixisti, non potes dicere te esse mentitum, quia hoc ipsum esset mentiri, posses tamen & deberes, si aliter fidem obtinere non potes, uti restrictione mentali, dicendo ipsum tale crimen non admisisse, subintelligendo publicè, seu tali modo, ut licitè potueris revelare, sicut ejusmodi restrictione uti potest & debet Confessarius interrogatus de crimine sibi dicto in confessione, ut fatentur omnes. Si falsum dixisti, teneris, si opus est, revocare, dicendo te esse mentitum, adhibendo juramentum & testes, etiam cum æquali tua infamia & periculo, v. g. alium per calumniam accusasti, falsum testimonium scienter dixisti, ex quo alteri mors, jactura famæ & bonorum imminet, obligaris tuum dictum retractare & si opus est, cum periculo vitæ, famæ, & bonorum, ut habet *communis* & *certa*; quia in pari causa melior est conditio innocentis; & sicut iniquus occisor equi alieni tenetur restituere cum jactura equi proprii vel
ejus

ejus pretii , sic & restituere famam cum simili
jactura famæ propriæ ; non tamen tenetur cum
longè majore suo damno , quia tunc censetur
moraliter impotens, neque tenetur per seipsum ,
si revocatio utiliter fieri possit per Confessarium,
vel per alium. Si detractor prævideat, vel meri- 7.
tò timeat, ne crimen à se dictum ab auditoribus
ulteriùs propaletur , si exposit ultrà propalatum
est , obligatur etiam apud auditores mediatos re-
vocare, quia est causa injusta detractionis per hos
factæ ; secus si dixerit viris prudentibus, à qui-
bus ulteriorem propalationem non timebat : si
non recogitâsti, an auditores tui sint vel non sint
taciturni, ut communiter contingit, probabi-
liter non teneris revocare apud mediatos , quia
cùm nemo præsumi debeat malus , ulterior cri-
minis revelatio non tibi , utpote qui eam non
prævidisti , sed auditorum malitiæ imputanda
venit. 8.

*Dicitur 4. Debet restituere famam & hono-
rem , intellige per contumeliam læsum , de qua
vide Cas. 36. num. 1. Si contumelia non con-
tineat detractionem v. g. privatim nemine audi-
ente aliquem vocas stultum, spurium, adulterum:
propriè non debetur restitutio , sed (nisi sei-
psum vindicando juri suo resignârit) satisfactio,
petendo veniam &c. ad quam tamen plerumque
non tenentur superiores, parentes, Domini, ne,
dum nimium servatur humilitas , regendi franga-
tur autoritas , uti ait S. August. in sua regula ;
tenebuntur tamen satisfacere exhibendo extraor-
dinaria honoris & benevolentia signa, v. g. ami-
cè salutando, alloquendo, obsequia & beneficia
præstando &c.*

*Dicitur 5. Et omnia damna temporalia, intel- 9.
lige*

lige prævisa, ut si ob tuam detractionem quis officio, dignitate vel bonis suis privatus sit, hæc obligatio transit ad hæredes: si ex tua detractione de crimine occulto, sed vero quis fuerit accusatus & condemnatus, ad nihil teneris, quia sententia est justa, & fama reparari non potest, cum crimen per justam sententiam sit factum publicum.

QUÆR. II. Quæ hinc sint causæ à restitutione excusantes?

10. R. Sunt seqq. 1. *cessatio damni*, ut si nullum damnum factum est, eò quòd audientes dicenti non crediderint, vel infamia oblivioni sit tradita, aut fama aliunde v. g. purgatione canonicâ, probitate vitæ, proborum virorum testimonio, vel autoritatẽ judicis jam sit recuperata; quo casu adhuc satisfieri debet pro damno temporali, si quod ex detractione secutum est, & pro impensis, quas infamatus facere debuit pro recuperanda fama.
11. 2. *Excusaris*, si crimen occultum à te revelatum sine tua culpa factum est publicum; si tuâ culpâ publicatum est, teneris, si potes, revocare etiam publicè per scripturam, concionatores &c. *nec obstat*, quòd per publicationem veri criminis infamatus amiserit jus ad famam, nam jus illud amisit per tuam injustitiam, ergo quantum est in te, teneris facere ut ipse jus & famam recuperet.
12. 3. *Excusat impotentia* physica vel moralis, ut si auditores tuos, coram quibus detraxisti, nec scripto nec verbo convenire possis, aut restituere nequeas sinè longè majori tua infamia vel damno; quòd si fama nullatenus restitui possit, & infamatus nullum damnum in bonis fortunæ passus

passus

passus sit , non teneris ante sententiam judicis
damnum famæ compensare pecuniâ. *Nav. Less.*
Sporer. Lugonum. 23. & plurimi apud *La Croix*
l. 3. p. 2. n. 299. quia justitia tantum exigit,
ut restituatur res ablata in se vel æquivalenti ,
seu in eo , quod rei secundum communem æsti-
mationem æquivalet , ita ut inter se functionem
& commutationem recipiant , sed pecunia nec
in se , nec in æquivalenti est fama , nec per
quantamcunque pecuniam recuperatur fama ab-
lata , ergo.

Dices 1. qui non potest restituere, quod de-
bet, tenetur restituere , quantum potest. 2. Si
fama eadem restitui non possit , est obligatio in-
famatum laudandi in alia materia , vel etiam ho-
norandi , ut habet communis , & tamen una
fama, quâ v. g. dixeris justus , nequidem par-
tialiter est alia fama , quâ dixeris castus ; imò
fama & honor genere differunt. *R. ad 1.* debet
restituere , quantum potest in rebus ejusdem or-
dinis & in communi æstimatione æquivalenti-
bus *C. secus N. ad 2. NC* quamvis una fama non
fit formaliter altera , est tamen in eodem gene-
re bonorum , & licet honor & fama in rigore
physico differant genericè , sunt tamen ita affinia
& connexa , ut moraliter & quoad usus huma-
nos ferè pro eodem reputentur ; licet enim ho-
nor non sit fama , est tamen famæ seu bonæ ex-
istimationis de proximo testificatio.

Excusat libera condonatio infamati ; cum e-
nim sit Dominus suæ famæ , ejus læsionem re-
mittere potest , sufficit autem remissio tacita vel
prudenter præsumpta ex hoc , quod credatur re-
missurus , si rogaretur , aut malit rem dissimula-
ri , quàm ejus memoriam refricari ; excipe nisi

remissio cedat in præjudicium religionis, familiarum, vel aliorum, qui ex ejus infamia infamati sunt; tunc enim his invitis obligatio revocandi remitti non potest, quia & ipsis facta est injuria.

14.

5. Excusat reciproca infamatio, dum alter te infamavit & famam restituere recusat. *Sot. Molina. Less. Dian. Sylvius 2. 2. q. 62. a. 2. Dicast. d. 12. n. 246. Laym. n. 5. contra Tann. Nav. Eugo n. 44. Sporer à n. 117. Ratio est. quòd quidem non liceat infamiam compensare, infamantem vicissim infamando, quia non licet reddere malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, 1. Pet. 3. postquam tamen sic fecisti, modò injuria utriusque sit æqualis, non teneris alteri restituere, jura enim sunt paria, & tu non habes minus jus ad tuam famam, quàm alter ad suam; si ergo alter tuam restituere nolit, sibi imputet, nec rationabiliter invitus esse potest, quòd nec tu restituas, & paria crimina compensatione mutuâ delentur. C. tua fraternitas de adult.*

Dices 1. compensatio tantum habet locum, quando per eam restituitur æqualitas, seu recuperatur id, quòd ablatum est, ut si mihi debeas centum aureos, & ego à te surripiam totidem; sed per hoc, quòd non restituo alienam famam, non recuperò meam, ut patet; nam ex hoc, quòd alterum dicam esse latronem, ego non credor innocens ab adulterio, quòd alter mihi impofuit. 2. Quando ad me indemnifandum licet alienam rem retinere, etiam licet eam surripere, ut clarum est in debito pecuniario, sed non licet surripere famam alienam, si quis meam restituere nolit, ergo nec licet eam tunc retinere seu non restituere.

R. Non

R. Non est hic propriè compensatio, quâ ipsa res vel ejus æquivalens recuperetur, ut male supponunt adv. hæc enim non in fama, sed tantum in rebus pretio æstimabilibus locum habet, ut si pro equo ablato clam surripiatur similis equus vel ejus pretium; sed solum est suspensio, seu justa dilatio solutionis, usque dum alter vicissim solvat, quod debet, potest autem esse justa causa differendi solutionem, etsi non sit justa causa auferendi rem alienam, ut manifestum est in necessitate gravi, vel in periculo gravis damni, in quibus debitor solutionem differre, non autem alienum auferre potest; item si quis meas malitiosè ædes exussit, oculum excussit, non licet quidem vicissim alterius ædes incendere, oculum excutere, quia hoc non esset suum damnum reparare, sed alteri damnum inferre & seipsum vindicare; postquam tamen ædes exussi, oculum excussi, justè differo reparationem damni, usque dum alter vicissim mihi reparationem offerat; ergo à pari, etsi non liceat infamantem mutuò infamare, postquam tamen infamavi, licitè restitutionem famæ differo, usque dum alter pariter meam restituat, quòd si *Lugo & Sporer l.c.* bene ponderassent, hanc sententiam, non tantum ex autoritate, sed & ex rationibus intrinsecis dixissent probabilem, imò probabilissimam, & mihi omnino veram.

Sed quæres, an saltem per modum defensionis liceat infamantem reciprocè infamare? *R.* Pro reparandâ fama jam læsa id non licere, licet tamen pro avertendo damno futuro & imminente; sic licitè aperio occultum crimen falsi accusatoris vel testis ad enervandam eorum fidem; utor enim jure meo, quod habeo ad proban-

dam meam innocentiam, & si liceat occultum proximi crimen aperire pro tuenda fama & vita proximi innocentis, imò & ad habendum à vi-
 16. ro gravi solatium, ut docet *S. Thom.* cur non pro tuenda fama & vita propria: nunquam tamen licet falsum crimen iniquo accusatori vel testi affingere etiam ad evitandam mortem vel extremam infamiam, ut certum est ex prop. 43. & 44. ab Inn. XI. damnatis, quas exhibui *Cas. 36. num. 5.* nam id foret mendacium in re gravi tum contra justitiam publicam, quia iudex, quantum est in se, inducitur ad puniendum Innocentem, & testes ad perjurium, tum contra justitiam privatam, quia quilibet habet jus, ne falso crimine infametur, sicut habet jus, ne à privato occidatur.

Dices cum Lugo & Tamb. si dolo vel mendacio defendam me contra injustum aggressorem eum v. g. falsis promissis aut minis absterrendo, pecco venialiter peccato mendacii, non autem contra justitiam, quia habeo jus defendendi vitam, ergo si mendacio injustum aggressorem meæ famæ & vitæ privem suâ famâ, tantum pecco venialiter peccato mendacii; si enim non est injustitia per mendacium defendere vitam, minus erit in casu posito per mendacium defendere famam simul & vitam.

R. N. C. nam imprimis id injustum est in iudicio, quia læditur justitia publica, extra iudicium verò impingere falsum crimen non est medium necessarium & certò efficax pro recuperanda fama, potes enim deficere in probatione, & adversarius potest per veros testes aliâque indicia tua dicta elidere; contra occisio injusti aggressoris est medium necessarium & certum conservandæ vitæ, ut supponitur. CA-

C A S U S XLV.

De circumstantiis restitutionis, &
in specie cui, quo tempore & lo-
co restitutio fieri debeat?

Abbenius multa iniquè congeffit, dubitat, an, & qualiter teneatur restituere. 1. Quia Dominus re suâ creditur abusus. 2. Quia Dominus rei est defunctus. 3. Quia res alteri erat oppignorata vel vendita. 4. & 5. Aliqua furi reddidit, à quo emerat. 6. Pleraque acquisivit usurâ, iniquo pondere, vel mensurâ, & ignorat à quibus. 7. Alia sibi tanquam pauperi aut alieno ere gravate retinet. 8. Sarcinam à viatore in domo suo relictam vendidit. 9. Res tum furtivas tum inventas ex parte dedit primò repetenti, qui non erat Dominus. 10. Partim factâ vel non factâ inquisitione aut ex consilio Confessarii dedit pauperibus. 11. Dubitat an restitui debeant res vacantes, inventas, derelictas. 12. An, & ex quibus causis differri possit solutio. 13. An fieri ante vel post tempus conventum. 14. Quid si fiat per partes, vel differatur post mortem. 15. Quo loco & quibus expensis tenetur debitor ex delicto. 16. Debitor ex re accepta. 17. Quid si mittat rem Domino absenti, & in via pereat. 18. Quo loco tradenda res debita ex contractu? Pro resolut.

QUÆR. I. Cui restitutio fieri debeat?

R. I. Debita vel bona certa, id est talia, quorum Dominus scitur, regulariter restitui debent ipsi Domino, quia hic in ea primarium jus habet. I.
Excipe 1. nisi Dominus re suâ esset abusus ad

H h 5

pecca-

peccatum, v. g. pecuniâ ad se inebriandum vel fornicandum; tum enim, si absque gravi incommodo potes, teneris ex charitate restitutionem differre, imò si re suâ esset abusus ad injuriam, v. g. gladio suo ad se vel alium occidendum, teneris ex justitia non reddere, aliàs sine causa positivè cooperaris actioni injustè, & per consequens teneris de damno secuto. *Sotus. Less. l. 2. c. 16. dub. 4. V. Cas. 38. à n. 1.* debes tamen esse moraliter certus, quòd Dominus re suâ abusus sit, nam in dubio debet præsumi bonus, & possidet obligatio restituendi; in praxi etiam plerumque adest causa excusans, puta periculum rixarum, aliorumque incommodorum, si Dominus rem suam seriò repetat, & non recipiat.

2. S Dominus sit defunctus, omnia debita realia sive ex contractu sive ex delicto reddenda sunt hæredi, quia hic succedit in omnia jura defuncti; si defunctus de rebus suis non disposuerit, neque hæredem ab intestato usque ad decimum gradum, vel ex testamento reliquerit, ejus jura & bona dicuntur vacantia & derelicta. *L. 1. 4. § 5. Cod. de bonis vacant.* quia de iis in vita disponere noluit, & post mortem non potuit, ideòque de jure naturæ fiunt primò occupantis, & debita debitori remanebunt; jure civili cedunt fisco, vel sæculari, si defunctus sit laicus, vel Ecclesiastico, si fuerit clericus, saltem post sententiam judicis, ut requirit *Amicus de just. d. 16. num. 6.* nam *cit. leges* dicunt intra certum tempus posse præscribi contra fiscum, ergo possunt bonâ fide retineri, quia malâ fide nunquam præscribitur. Bona peregrinorum in diversorio sine hærede defunctorum, per
Epi-

Episcopum loci distribuenda sunt pauperibus pro anima defuncti. *Auth. omnes Cod. communia de succes.*

3. Si alteri debeatur rei alienæ possessio, huic 3. immediatè restituenda est, v. g. accepisti rem apud alium depositam, conductam, commodatam, emphyteuticam &c. non Domino sed depositario, commodatario &c. restituere debes, quia sine injuria privari non possunt jure custodia, usûs, vel possessionis, nisi consentiant, vel credantur re iniquè abufuri, ex quo capite bona Ecclesiæ non Prælato dissipatori sed Capitulo restituenda sunt.

4. Si habeas rem à possessore malæ fidei v. g. 4. emisti equum à fure, per se non furi, sed Domino reddi debet, qui solus jus in eam habet, non verò iniquus possessor: dico *per se*, nam si fur tibi nolit reddere pretium, nisi ei restituas equum, *Nav. Vasq. Dicast. Less. Metzger d. 33. a. 1. & alii apud Vivam. op. 2. q. 2. a. 3.* dicunt furi eum licitè reddi posse, etsi fur nunquam eum reddet Domino, quod *Lugo d. 17 f. 2. Sporer num. 121.* etiam admittunt de emptore malæ fidei, quia res sive bonâ sive malâ fide empta per hoc, quòd reddatur furi non ponitur in pejore statu, quàm esset, si nunquam fuisset empta: at probabiliùs contradicunt *Cajet. Sot. Molin. Laym. Sylvius q. 62. a. 6. La Croix l. 3. p. 2. num. 100.*

Ratio est 1. emptor rei alienæ, si aliter pretium recuperare non possit, licitè quidem permittere potest, ut fur mercem recipiat, quia habet jus ad suum pretiam, pro quò nihil accepit, nec obligatur rem alienam cum tanto suo damno conservare, ut fatentur omnes, non tamen

men licitè potest eam furi restituere seu tradere, quia hoc non est permittere, sed positivè & proximè cooperari ad injustum alterius damnum; sicut si latro velit auferre rem tuam, nisi tradas alienam, potes quidem permittere, ut accipiat rem alienam apud te existentem, non tamen licitè eam tradis. 2. Res à fure liberata apud emptorem meliorem statum acquisivit, qui unà cum re ad Dominum pertinet, ergo qui eam furi restituendo ad pejorem statum reducit, facit Domino injuriam, sicut qui rem alienam ex incendio vel flumine ereptam, iterum in flammam vel flumen rejicit, etsi alius ipsi minetur æquale damnum, nisi iterum injiciat. 3. Dominus ab emptore potest justè rem suam repetere, imò & tollere, ergo alter obligatur eam ipsi, & non furi reddere, ne detur bellum ex utraque parte absque errore justum; *nec obstat* quòd fortè ex ignorantia rem non repetat, nam per hoc jus suum non amisit, & judex tenetur rem non furi, sed Domino adjudicare, ergo & tu restituere.

Dices 1. emptor restituendo rem furi reponit eam ex gravi causa in eodem statu, in quo fuisset, si nunquam fuisset empta, ergo nec damnum, nec injuriam facit Domino, etiamsi eam emerit malà fide; sicut si quis à fure, sive bonà sive malà fide, accepit canem alienum, si in via timeat ab ipso morderi, potest canem citra Domini injuriam dimittere, etsi prævideat eum rediturum ad furem.

2. Quamdiu fur detinet meum pretium, res empta necdum est à fure perfectè liberata, sed est quasi sub actuali conflictu, ideòque licite reddi potest; sicut si à fure extorsit pallium Petri, fur autem arripiat meum, licitè ei reddo pallium
Petri,

Petri, ut recipiam meum; item si quis velit auferre bursam meam, nisi bursam Titii in foro inventam iterum illuc reportem à fure auferendam, licitè reporto.

3. Ex gravi causa licet remotè cooperari peccato alieno, ut cum communi dixi *Cas. 20. n. 2.* sic si fur velit auferre thesaurum meum, nisi ostendam thesaurum Petri, licitè hunc ostendo; ergo si fur nolit reddere mihi pretium, nisi restituam rem emptam, licitè eam restituo, etsi forsàn à fure retinendam.

4. Si Petrus mihi intentet mortem, nisi tradam gladium Pauli apud me depositum, licitè eum trado, etiam si sciam, quòd eodem velit Paulum occidere; quia tradere gladium est actio de se indifferens ideòque remotè tantùm cooperativa ad occisionem Pauli; quam ponere licet ad evitandum æquale malum proprium; ergo reddere mercem furi etiam tantùm est cooperatio remota, & per consequens licita ad evitandum damnum æquale. Ecce rationes multùm graves, ut vix judicari possit, an hæc an oppositæ præponderent. Nihilominus.

R. ad 1. N. C. injuriam facit Domino, non quia rem emptam reponit ad statum primum, sed qui eam privat statu intermedio meliore jam acquisito; aliud est de cane, qui furi positivè non restituitur, sed ex gravi causa permittitur sponte ad eum redire.

ad 2. N. aff sicut si pallium Petri à fure ereptum deportasses ad locum tutum, non posses illud furi positivè reddere seu tradere, etsi possis permittere, ut ipse recipiat; sic & mercem non potes reddere, bene tamen ex causa permittere, ut fur recipiat. Idem est de bursa reperta & ad locum tutum deportata. *ad*

ad 3. N. C. reddens mercem tradit rem alienam furi, ideoque proximius cooperatur, quam qui eam nudè ostendit; & obinde Dominus magis est invitus respectu hujus, quam respectu alterius.

ad 4. N. C. tradens gladium Pauli metu mortis est in extrema necessitate, in qua Paulus non habet jus repetendi gladium, necessitas autem recuperandi pretium non est tanta, ut Dominus mercis amiserit jus eam repetendi.

6. B. II, Debita vel bona incerta, hoc est talia; quorum Dominus ignoratur, vel conveniri non potest, restituenda sunt juxta explanationes sequentes.

1. *Bona incerta comparata ex delicto* v. g. furto, usurâ, iniquâ mensurâ vel pondere, si factâ pro rei qualitate & valore, diligenti inquisitione Dominus sciri vel conveniri non possit, restitui debent pauperibus. *S. Th. 2 2. q. 62. a. 5. ad 3. & ibid. Cajet. Bannes Sylvius Covar. Molin. d. 746. Lugo d. 6. s. 12 Viva op. 2. q. 2. a. 3.* & ita definit Alex. III. C. *cum tu de usur. c. nemo 24. q. 5. Ratio est*, quia res, quæ Dominum habet, non potest retineri illo non consentiente, aut, si Dominus reperiri non possit, debet expendi juxta voluntatem ejus prudenter præsumptam; sed bona incerta Dominum habent, aliàs forent vacantia vel derelicta, quæ sunt primò occupantis, neque prudenter præsumi potest, quòd Dominus velit ea retineri ab injusto eorum possessore, ne lucrum ex delicto reportet, sed prudentissimè præsumitur, quòd si sibi vel suis hæredibus aut proximè consanguineis præsertim indigentibus restitui non possint, velit ea distribui in pauperes, vel ad quaslibet causas

causas

causas pias, ut communiter explicant DD. ergo sic expendi & restitui debent, unde si ipse verè pauper, vel debitis ultra vires gravatus sit, ea, 7. sibi propriâ autoritate retinere potest, nisi obftet lex aliqua positiva, *Scot. Vasq. Sylv Sanchez. Illf. t. 4. d. 3. n. 250.* quòd si Dominus in particulari quidem ignoretur, sciatur autem in communi, v. g. milites injustè expilârunt oppidum, mercatores, caupones, pistores mercibus, mensurâ vel pondere iniquo concives suos defraudârunt, etsi nesciant, quibus in particulari damnum illatum sit, restitutio tamen facienda erit non pauperibus, sed quòad fieri potest personis læsis per se vel per virum probum, & in ultimo casu minuendo pretium vel augendo pondus & mensuram.

2. *Bona incerta ex contractu vel inventione v. 8.* g. mercator ignotus loco vitri tradidit gemmam, loco cupri aurum, loco unius ulnæ duas, item invenisti anulum pretiosum, aut viator ignotus sarcinam in domo tua reliquit &c. si adhibitâ inquisitione debitâ per publicationem vel schedarum affixionem Dominus reperiri non possit, probabiliùs hæc iterum restituenda sunt ad causas pias *S. Th. q. 66. a. 5. ad 2. Scot. 4. dist. 15. q. 2. ad 4. Cajet. Nav. Less. Laym. Viva op. 2. q. 2. a. 3. & DD. cc. Ratio denudè est, quòd res aliena sine consensu saltem præsumpto Domini retineri non possit, præsumitur autem esse voluntas Domini, ut, dum res sibi corporaliter restitui non potest, restituatur ad causas pias, in bonum animæ. Fatentur tamen plerique oppositam, quam docent *Sot. Medina. Sa. Dian. p. 11. t. 4. R. 12. Metzg. t. 11. d. 27. a. 3.* esse probabilem; quia incertum*

tum est, an voluntas Domini sit, ut res sua in causas pias erogetur, vel non potius, ut à possessore bonæ fidei asservetur, aut si asservari non possit, consumatur, distrahatur, & Domino si fortè compareat æquivalens restituatur: optimè distinguit *Lugo n. 141.* quamdiu superest spes aliqua inveniendi Dominum, præsumitur Dominus rem suam vel pretium ejus velle asservari, si nulla spes superfit, tunc demum dari pauperibus.

9. 3. Inyentor non debet credere cuivis dicenti rem esse suam, nisi id probetur sufficientibus indiciis, si plures dicant esse suam, dividenda est pro rata probabilitatis, aut in defectu probationum danda pauperibus.

4. Qui præmissâ debitâ inquisitione rem in pauperes vel pias causas expendit, Domino comparente ad nihil tenetur, non ex re accepta, quia rem non amplius habet, neque ex injusta acceptione, nam quamvis eam fortè accepit malâ fide v. g. furto, rapinâ &c. postquam tamen Dominum invenire non potuit, culpam purgavit eam expendendo juxta voluntatem Domini prudenter præsumptam; pari modo ad nihil tenentur pauperes, vel loca pia, si rem taliter acceptam jam absumpserunt, secus si adhuc existat, tunc enim obligantur ex re accepta, quia distributio illa aliter fieri non potuit, quam sub conditione, si Dominus re adhuc existente non comparuerit, aliâs enim malè gestum esset negotium Domini. *Laym, Diana Petsch. p. 647.*

10. 5. Si non præmissâ sufficientem inquisitione in Dominum, res erogata est in causas pias, & adhuc existat, possessor rei tenetur primò, & in ejus defectu, qui dedit, si res bonâ fide est consumpta,

sumpta,

sumpta, nec aliquis ex ea factus ditior, tenetur solus distributor. Ratio est, quia transferri non poterat rei dominium, cum Dominus esset rationabiliter invitus, & qui dedit non præmissâ debitâ inquisitione, Domino fecit injuriam.

6. Si fur bonâ fide ex ignorantia vel mandato Confessarii non factâ inquisitione rem dedit pauperibus, & ab iisdem consumpta sit, fur adhuc tenebitur solvere pretium ratione primæ acceptionis injustæ, sicut si res apud ipsum sinè ejus culpa periisset, neque est voluntas Domini, ut sic expendatur res sua. *S. Anton. Nav. Rebel. Herinx d. 8. n. 109. Lug. d. 21. n. 59. Dicast. d. 3. n. 113.* Si dicas, talis fecit, quod potuit, & ignorans tenebatur obedire Confessario; ergo creditor non potuit esse invitus, ut sic fieret. *R.* Fecit, quantum potuit, ad evitandum novum peccatum C. ad extinguendum debitum N. debitor ex delicto debet creditorem efficaciter reddere indemnem, unde, si restitutionem commisit Confessario vel nuntio à creditore non assignato, qui rem retinuit, tenetur denuò solvere, ut fatentur omnes; ergo & tunc, quando absque inquisitione bonâ fide dedit pauperibus. *V. infra n. 17.*

R. III. *Res vacantes*, ut gemmæ & lapilli in littore maris, feræ in sylvis, *res derelictæ* vel pro derelictis habitæ, ut missilia Principum, *thesauri* ultra memoriam hominum reconditi jure gentium sunt primò occupantis, ideòque restitutioni obnoxia non sunt, nisi sub limitationibus explicatis *Cas. 22.*

QUÆR. II. Quo tempore restituendum?

R. *Ut primum moraliter fieri potest post delictum vel notitiam rei alienæ, aut præfixum terminum in*

li

con-

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. I.

contractu : est regula communis & certa; aliàs enim detineretur res aliena Domino rationabiliter invito; unde *deduces seqq.*

1. Differre solutionem uno alteròve die non est mortale, nisi Domino grave damnum vel incommodum ex dilatione causetur, imò si debitor non sit ex delicto (quoad hunc enim Dominus est plerumque magis invitus) & verum habeat solvendi propositum, ac dilatio solutionis Domino non sit damnosa aut periculosa, non est arguendus peccati mortalis, etiamsi per unam alteramve septimanam, imò & mensem solutionem differat. *Molin. Laym. Tamb.* Tres verò sunt causæ, propter quas restitutio justè differri potest. 1. Si creditor non sit præsens, nec aliquem statuerit, qui solutionem acceptet. 2. Si creditor etiam tibi debeat, & non solvat. 3. Si solutio fieri non possit sinè scandalo vel notabili damno in bonis animæ, famæ vel fortunæ.

13. 2. Si nullus in contractu terminus est præfixus, solutio primùm facienda, quando creditor secundùm loci consuetudinem eam exegerit, nisi forsan petere impediatur, vel à potentiore non audeat, tunc enim terminus solutionis erit, qui prudenter judicatur esse de rationabili voluntate creditoris.

3. Si terminus præfixus est in favorem debitoris, ut in commodato, debitor poterit terminum prævenire, & citiùs solvere; quòd si creditor acceptare nolit, & res individua pereat sinè culpa debitoris, interitus non huic, sed creditori imputabitur. *Diana p. 1. t. 8. R. 17.* Quando autem terminus præfixus fuit in favorem creditoris, ut in locato ad certum tempus, in censu pro annua pensione; tunc debitor regulariter terminum

minum

minum prævenire non potest, nisi soluto integro pensionis vel locationis pretio; creditori verò non conceditur repetere rem suam ante terminum conventum, nisi debitor de fuga, vel non solvendo foret suspectus, tunc enim cogitur vel rem ipsam reddere vel cautionem præstare.

4. Qui injustè cum peccato mortali solutionem differt, tenetur ad omne lucrum cessans & omne damnum obinde creditori emergens, ut per se patet; qui solutionem inculpabiliter differt ex naturali oblivione vel impotentia, valde probabiliter excusatur, præsertim si non sit debitor ex delicto; an idem teneat de eo, qui solutionem differt ad avertendum proprium damnum, dicam *Cas. 47. n. 4.*

5. Debitor vel maximè ex delicto, si possit, ¹⁴ debet statim totum debitum solvere, quamvis per partes vel distincta delicta contractum, & si absque causa velit solutionem differre, vel per partes solvere, non potest absolvi, quia manet in actuali peccato, & Dominus est rationabiliter invitus, quia habet jus ad totum debitum, & posset intervenire impotentia, mutatio voluntatis vel aliud periculum; minùs absolvi possunt, qui solutionem differunt usque ad mortem, vel post mortem committunt hæredibus, quia injustè detinent aliena, & suos creditores exponunt periculo damnorum, præsertim si hæredes sint potentes vel difficilis conventionis, aut, ut fieri assolet, in indagandis & observandis obligationibus defuncti negligentes, nisi periculum gravis infamiæ vel scandali aut alia justa causa exigat restitutionem differri post mortem.

QUÆR. III. Quo loco & cujus expensis restitutio fieri debeat? ¹⁵

Re. I. Debitor ex delicto debet restituere in illo loco, ubi Dominus rem suam erat habiturus, si res injustè ablata, detenta vel destructa non fuisset, & quidem suis expensis, ut si Colonia abstulit pecuniam vel equum, & ea secum abduxit Viennam, tenetur suis expensis ea reducere Coloniam, vel si Dominus etiam rem suam tunc erat ducturus Viennam, debet restituere Viennæ, subtractis tamen expensis, quas Dominus in re sua transferenda necessariò fecisset: si fur plures expensas facere debuit, quàm Dominus erat factururus, has deducere non poterit; suo delicto eas imputet; si verò minores expensas fecit, quàm Dominus facere debuisset, idque proveniat ex industria sua, hanc diminutionem compensare potest; secùs si id contingat casu, ex eo v. g. quòd vecturæ vel cambii pretium decreverit, pretium enim decrescit Domino. *Medin. Sylvius, Molin. d. 752. Less. c. 15. dub. 8. Lugo d. 20. n. 183. Sporer à num. 153. La Croix n. 361. Ratio horum est, quòd æquitas justitiæ solùm exigat, ut Dominus rei servetur indemnis, id est, tantum & non plus habeat in rebus suis, quantum habuisset, si res nunquam fuisset ablata vel iniquè detenta, hoc autem fit, si fur ita restituat, ut præmissum est, ergo, &c.*

At quantas expensas tenetur facere debitor ex delicto ad restituendam rem alienam? *Cajet. Nav. Covar.* & alii obligant ad expensas quascunque possibiles, at nimis rigidè; quis enim dicat, quòd debitum sex aureorum tener solvere cum expensis seu damno aureorum mille, id namque apertè repugnat charitati; meliùs igitur *Lug. n. 191.* dicit, debitorem obligari ad expensas

penſas duplò majores, quàm res debita valeat, ut ſi debeas centum, tenearis hos cum expenſis ſeu jactura ducentorum ex tuis, ſi opus eſt, reſtituere, quia, cùm debitor ſit nocens & creditor innocens, ſaltem duplò major cauſa requiritur ad abſolvendum debitorem, quàm ad privandum reſuâ creditorem. Adhuc mitiùs loquuntur *D. Th. q. 62. a. 5. ad 3. Sor. 4. diſt. 15. a. 4. Haun. t. 2. c. 3. contr. 8. Vaſq. de reſt. c. 10. d. 1. Petſch. p. 678. Sporer num. 161.* Qui tantùm obligant debitorem cum damno æquali, & aliquantum majore, non autem cum damno duplo, triplo, vel decuplo; quia juſtitia non repugnat charitati, charitatem autem putant non permittere, ut debitor etiam ex delicto reſtituat cum damno notabiliter majore, quàm eſt debitum, ideòque reſtitutio tunc differri poterit ad commodiorem occaſionem, aut ſi nulla ſpes commodioris occaſionis aſſulgeat, nec voluntas Domini per litteras vel aliter explorari poſſit, Reſtitutio ex præſumpto Domini conſenſu facienda eſt proximis Domini conſanguineis vel hæredibus, aut in eorum defectu pauperibus.

Si dicas: qui tenetur ad finem ſeu reſtitutionem, etiam tenetur ad media & expenſas neceſſarias; ergo, ſi opus eſt, ad triplò vel decuplò majores, quàm res ipſa valeat. *R.* Tenetur ad expenſas debito proportionatas *C.* improporcionatas & debitum notabiliter excedentes *N.* ut autem ſciatur, quænam expenſæ ſint proportionatæ, attendenda eſt conditio tam debitoris, quàm creditoris; poteſt enim eſſe, ut debitori pauperi multò plus noceat damnum decem, quàm creditori centum aureorum, aut econtrà; ideò-

que & tunc expensæ ultra duplum vel triplum augendæ, vel econtrâ proportionaliter minuendæ sunt. *Hann. l.c. Illung. num. 223. Sponer num. 163.*

86. 32. II. Debitor ex solare accepta tenetur restituere in loco, in quo res de facto existit, juxta seq. explicationes;

1. Si Dominus rei est absens, v. g. viator in domo tua reliquit suam hursam, vestem vel farcinam, teneris eum per litteras monere, quid de re sua fieri velit; si petat sibi transmitti, transmittenda est, sed expensis Domini; quia æquum non est, ut debitor in re aliena citra culpam suam damnum patiatur, si expensæ excedant valorem rei, de præsumpto consensu Domini res vendi & pretium transmitti debet; si nec pretium sine majori vel æquali expensa transmitti queat expectanda est melior occasio vel voluntas Domini, aut si nulla horum spes sit, res dari debet proximis Domini consanguineis vel hæredibus, aut in horum defectu pauperibus, ut sup. si debitor inutiles expensas fecerit, hos ipse portare debet, & si inquirere neglexit, fiet deinceps debitor ex delicto, obligabiturque, quantum illa negligentia nocuit.

87. 2. Si Domino absenti rem suam vel etiam tuam transmittas per bajulum ab ipso in genere vel in specie designatum, vel cum ejus consensu electum, hic autem rem retineat, vel sine tua culpa apud ipsum pereat, perit creditori, quia jam censetur rem acceptasse per suum designatum. *Lugo d. 8. num. 127. idem dicit La Croix num. 363.* si loco designati fortè venerit alius, fingens se designatum, cujus fraudem advertere non potuisti, quod verum est, si intuitu

tu litteratum vel signi à creditore dati eum elegeris, secùs, si nullum signum creditor posuerit, nec litteras scripserit; tunc enim censetur à te spontè electus, & dicendum, quod *casu seq.*

3. Si ipte bajulum elegisti non assignatum, & remittas rem Domini in individuo, v. g. vestem apud te depositam vel tibi commodatam, & hæc finè tua culpa pereat, iterum ad nihil teneris; quia res regulariter perit suo Domino; excipe, nisi sis debitor ex delicto, v. g. per tuum servum vel Confessarium remittis vestem furto à te ablatam, quam si servus vel Confessarius retineat, teneris ejus pretium solvere Domino vi injustæ acceptionis præteritæ, non aliter, ac si apud te casu periisset. *Rebel. Sylvius, Less. c. 16. dub. 6. nu. 65. Molin. d. 754. Lug. d. 21. n. 59. Illf. n. 305. Dices: si fur non possit aliter restituere, quàm per Confessarium, creditor prudenter præsumitur consentire, ut res per Confessarium restitueretur; ergo si apud Confessarium pereat, perit creditori. R. Prudenter præsumitur consentire salvo suo jure C. aliàs N.*

4. Si ex te remittas rem tuam, v. g. pecuniam mutuò acceptam, tibi perit, quia illa pecunia permanet sub tuo dominio, usque dum creditor eam per se vel per suum nuntium acceptarit, res autem perit suo Domino.

R. III. Restitutio *ex contractu* fieri debet in loco tacitè vel expressè per partes convento, debita ex contractu gratuito donationis, legati, testamenti tradenda sunt in loco, ubi existunt, & sumptibus donatarii vel legatarii inde transferenda; quia gratis donans vel legans non censetur se, nisi aliud expresserit, ad plus obligasse, quàm ut rem alteri relinquat pro libitu ejus

sumptu & labore, si opus est, aliò transportandam; res debita ex contractu mutui, depositi, commodati, locati, &c. *per se* restitui debet, ubi est tradita, & quidem istius sumptibus, in cuius utilitatem contractus est initus, nisi aliter sit conventum.

CASUS XLVI.

De ordine Restitutionis servando inter creditores.

Bertholdus *ere alieno gravatus* querit ex Confessario: 1. *An possit solvere ex rebus apud se depositis, locatis, inventis, aut ex rebus emptis, & non solutis.* 2. *An omnibus præferri debeant funerals, alimenta & medicamenta sibi & suis impensa, iura facti testamenti & inventarii, mercedes servorum aut pretium rei emptæ.* 3. *An debita certa præferri incertis.* 4. *An præferenda debita hypothecata, & quid, si plures hypothecam habeant.* 5. 6. *An debita ex delicto præferenda debitis ex contractu vel contra.* 7. *An inter creditores merè personales prior tempore sit potior iure.* 8. *An præferri possit primò petens, pauper aut creditor, apud quem res debitoris existit.* 9. *Quid si accepto pretio rem vendiderit, & non tradiderit, an emptori præ omnibus res vel pretium reddi debeat.* 10. *Quid si res uni oppignorata oppignoretur vel vendatur alteri.* 11. *Aut debitor impotens nolit legata vel donationes acceptare, aut alteri donationem faciat? Pro resol.*

1. QUÆR. I. Quid notandum circa ordinem restitutionis servandum inter creditores? De ordine debitorum dixi Cas. 38. n. 21. R. Si debitor habeat

habeat bona sufficientia ad eluenda omnia debita, sinè ordine omnibus creditoribus satisfacere debet, ùt per se patet; si verò non sit solvendo omnibus, tenenda sunt seqq.

1. Restitui debet res aliena, si adhuc apud debitorem in individuo existat; ùt si debitor habeat rem tuam apud se depositam, sibi locatam, commodatam, vel à se inventam, furto sublata, &c. tibi & non aliis quomodocunque privilegiatis eam tradere debet, quia res mansit tua, neque aliis restitutio fieri debet ex rebus alienis. Idem est, si debitor pro re ab Ecclesia, Fisco vel minore sibi vendita & tradita non solverit pretium, tunc etiam ex constitutione legum Ecclesia, Fiscus, minor retinent dominium rei venditæ, usque dum solvatur pretium, uti ex *L. si procurator 5. de jure fisci & Gloss. ibid.* docent *Molin. Less. Castrop. Laym. apud Illsung. t. 4. d. 3. num. 190.* quod *Cajet. Sylvest. Nav. Less. L. 2. c. 15. dub. 2.* extendunt ad quamcunque rem venditam, non solutam, neque per cautionem pignoris vel fide-jussoris assecuratam; in dubio tamen censetur venditor tradendo mercem etiam tradere dominium, vel maximè, si pretium jam acceptare nolit contentus fide emptoris, ùt plerumque contingit. *Lugo d. 20. n. 17. Dicast. d. 11. n. 15.*

2. Ex bonis ipsius debitoris ante omnia de-
bita etiam hypothecata solvi debent funeralia,
medicamenta & alimenta sibi, uxori & liberis impensa, item quod pro inventario, pro custodia supellectilis & confectioe testamenti necessarium fuit, *L. penult. ff. de relig. & sumpt. funerum*; mercedes operariorum & famulorum ad necessarios usus conductorum; quia hæc de-

bita contrahuntur ex necessitate, & potius in utilitatem, quàm fraudem creditorum; aliàs enim debitor magis fieret impotens, si nullus ei serviret, ex eadem ratione præferri poterit solutio rei emptæ saltem in continenti, quia debitor ex tali solutione non fit impotentior, quia accipit æquale, *Vasq. de restit. c. 11. dub. 3. Laym. n. 3. 7. 8. Illung n. 217. Sporer n. 47.*

3. 3. Debita certa præferenda sunt incertis. *S. Anton. Sylvest. Cajet. Sylvius q. 62. a. 8. Vasq. n. 9. Lugo n. 2. Sporer n. 24. La Croix l. 3. p. 2. n. 373.* Per debita autem incerta hinc non intelliguntur debita dubia; nam pro his plerumque non debetur restitutio, cum in dubio, an debeam, melior sit conditio possidentis, ut dixi *Cas. 38. n. 18.* sed debita incerta hinc vocantur, quorum creditor sciri aut conveniri non potest. Ratio autem sumitur ex eo, non quòd creditor absens vel ignotus minus jus habeat, quàm præsens, sed quòd prudenter præsumatur velle, ut, cum sibi restitutio fieri non potest, fiat creditoribus certis; juvare enim debitorem imparem ad solvenda debita est opus pium, atqui debita incerta, postquam suo Domino solvi non possunt, ex præsumpta Domini voluntate converti debent in usus pios, secundùm dicta *Cas. 45. à n. 6.*

4. 4. Hypotheca est jus, quo non tantùm persona, sed etiam res aliqua immobilis in securitatem debiti obligatur; si obligetur res mobilis, vocatur pignus, unde patet, quòd debita hypothecata utpote jus in ipsam rem simul & personam habentia præferri debeant non hypothecatis, idè enim datur pignus vel hypotheca, ut per ea debitum magis assecuretur. *L. cui. C. qui potior*

potior est in pignore : Hypotheca alia est *expressa*, quæ mutuâ partium conventionem ; alia *tacita*, quæ citra partium conventionem à legibus constituitur , talem uxor habet in omnia bona mariti ad recuperandam dotem : Item alia est *generalis* , quæ dat jus in omnia bona debitoris , alia *specialis* , quæ tantum dat jus in aliqua ejus bona ; alia demum est *privilegiata*, quæ habet specialem in jure prærogativam seu jus præferentiæ præ aliis hypothecis , talem habet pupillus in bona Tutoris , & in rem suis pecuniis emptam , & ille, qui dat mutuum ad emptionem vel exstructionem rei, quam sibi pactus est in pignus , item, qui dat mutuum ad conservationem rei alteri generaliter vel specialiter hypothecatae , & alii plures , de quibus magis ad Juristas quàm Theologos spectat judicare ; unde Confessarius super his consultus nihil præpropere decideret , sed potius in rebus difficilioribus ad Civilistas remittat.

5. Inter creditores hypothecarios præferendi sunt , qui priores sunt tempore , juxta *Reg. 7. §4. in 6. qui prior est tempore , potior est jure* ; ita ut tacita hypotheca prior præferri debeat posteriori expressæ , prior generalis posteriori speciali , *Lugo à num. 40. Molin. d. 536. Vasq. c. 5. num. 6. Illf. n. 194. Ratio est ; quia per primam hypothecam res ipsa est obligata & inchoativè facta creditoris ; ergo cum ejus præjudicio in jus alterius transire non potest ; neque obstat, quòd fortè alteri jam sit tradita ; nam traditur cum onere reali prioris hypothecæ ; excipe hypothecas privilegiatas , quæ non privilegiatis etiam tempore anterioribus ex speciali juris dispositione præferuntur.*

6. 6. Debita ex delicto non sunt præferenda debitis ex contractu, vel econtra: *Sylves. Bann. Arrag. Vasq. dub. 2. Dicast. n. 24. Lugo num. 36. La Croix num. 379.* partim contra *Medin. Anton. Salon.* qui volunt præferri debita ex delicto, partim contra *Cajet. Tabien. Nav. Armilla,* qui docent præferenda esse debita ex contractu. *Ratio* nostra est, quia unus non habet majus jus, quam alter, sive enim ex furto vel rapina, sive ex mutuo debeas aureum; non teneris restituere, nisi cuilibet unum aureum, & quidem æquè primò; nam quamvis creditor ex delicto quòdam modum sit magis invitus, quòdam tamen reale, quod solùm in restitutione attenditur, æquales sunt.
7. 7. Inter Creditores merè personales locum non habere regulam § 4. *Qui prior est tempore, potior est jure;* sed debere cuilibet Creditori plus vel minus solvi juxta majus vel minus debitum, docent *Baldus. Anton. Sylves. Bannes. Sylvius, Nav. Less. c. 15. dub. 16. Ills. num. 215. Sporer num. 43.* *Rationem* sumunt tum ex lege civili ita disponente, tum ex eo, quòd omnes videantur habere æquale jus: non minùs tamen probabile, imò ex ratione videtur probabilius, quòd inter creditores merè personales præferri possit & debeat, qui habet creditum tempore prius & antiquius. *D. Th. opus. 83. c. 8. Gabriel. Medin. Valent. Salon. Suar.* aliique apud *Lugo num. 146.* Probatum 1. ex dicta Reg. § 4. in 6. à Bonif. VIII. generaliter tradita; *qui prior est tempore, potior est jure,* & *Glos. ibid.* per quam corrigitur jus civile, si alicubi est contrarium. 2. Prioritas temporis dat prælationem non tantùm habenti jus in re, sed etiam habenti jus

ti jus

tius personale ; nam hoc ipso , quòd quis se ex mutuo , v. g. obliget primo creditori , implicite se obligat ad non ponenda impedimenta huic solutioni , ergo tenetur se non obligare aliis creditoribus , nisi salvo jure prioris , alioquin primum exponit periculo amittendi in toto vel in parte suum debitum & jus quæsitum. *Si dicas* : hoc tantum tenere , si eadem persona pluribus est obligata ad eandem rem determinate , v. g. pluribus promisisti matrimonium , pluribus eandem rem vendidisti & non tradidisti , pluribus eandem rem oppignorasti , in his omnibus planum est , quòd præferri debeat primus , non verò , si pluribus te obligasti ad quid indeterminate. *Contra* est , si duobus obligasti laborem tuum pro uno die indeterminate hujus septimanæ , si non potes laborare , nisi die uno , debes laborare pro primo ; si duobus vendidisti unum ex tuis equis indeterminate , si omnes moriantur præter unum , debes hunc dare primo ; item in debito reali , si eandem domum duobus pro debito oppignorasti , quia utrique erat sufficiens , si ex post deteriorata non sufficiat , nisi uni debito , debet præferri primus , ut fatentur omnes ; ergo idem dicendum in debito personali.

8. *Nav. c. 17. num. 53. Laym. num. 7. Syl- 8. vius concl. 8. Illf. num. 219. Sporer. num. 45.* docent inter creditores æquales præferri posse primò petentem , quia jura favent vigilantibus , ideòque non revocatur ab eo , quod ante alios accepit *L. pupillus. L. quod autem , qua in fraudem* : hæc sententia est probabilis , quia citatæ leges sunt justæ ; ideòque secundum hanc sententiam moneri potest amicus , ut primò petat vel maxime

mè, si sit pauper, imò pauperem simpliciter præferri posse docet *S. Thom. op. 73. c. 18. Sylvest. Arrag. Salon. Rebel. l. 2. q. 19. num. 13. Laym. l. c.* Quia sicut auferendo, ita & non solvendo, pauperi cæteris paribus majus infertur damnum, quàm diviti, recedendum autem videtur priùs à majori nocuementò, quàm minori; sed hæc ratio parum probat, aliàs enim unus dives, cui plus debetur, esset præferendus alteri, cui debetur minus, ideo communior sententia docet titulum paupertatis per se nullam dare præferentiam, nisi in extrema & fortè etiam in gravi necessitate, quia pauper per se non majus jus habet ad rem sibi debitam, quàm dives.

9. Si res debitoris apud me existat mihi non oppignorata, non possum ex ea totum debitum meum subducere, sed attendere debeo, an non alii habeant jus præferentiæ, aut si habeant jus æquale, debeo cum eis pro rata concurrere. *Mendo d. 6. q. 4. Lug. d. 16. n. 126.*

9. 10. Si ære alieno gravatus rem aliquam vendiderit, sed non tradiderit, ipse autem receperit pretium, debet emptori tradere rem, vel reddere pretium, antequam ulli alii creditori etiam hypothecario satisfaciatur, quia ante traditionem rei venditæ ex jure non acquiritur dominium pretii, intellige, si pretium adhuc separatim existat; nam si venditor illud suis pecuniis indiscernibiliter miscuerit, acquisivit ejus Dominium. *L. si alieni nummi 20. ff. de solut.* ex illo autem, cujus debitor dominium habet, prima solutio fieri debet creditoribus hypothecariis: probabiliter tamen contradicunt *Rebell. Castrop. & alii*, volentes adhuc primò debere
satis-

satisfieri illi, cujus pecuniæ (idem est de aliis miscibilibus) cum alienis iniquè permixtæ sunt; Rationem dant, quia totus cumulus pecuniæ videtur obligatus creditori ratione injustæ mixtionis, & pecuniæ aliena adhuc physicè in cumulo existit.

11. Qui rem alteri oppignoratam cum ejus 10.
præjudicio de novo oppignorat vel vendit, peccat contra justitiam, & primus creditor poterit ex ea, ubicunque extiterit, solutionem accipere, quia pignus & hypotheca est onus reale, cohærens rei, quocunque devenerit.

12. Debitor sciens se non esse solvendo pec- 11.
cat contra justitiam, si donationes vel legata, ex quibus solvere possit, acceptare nolit, multò magis, si res suas alteri donet, mutuò det vel aliter alienet cum præjudicio creditorum, quia facit se voluntariè impotentem ad hoc, ad quod ex justitia obligatur, *Molin. Bonac. Sanch. Lugo d. 20. num. 137. Haun. d. 2. num. 497.* donatio tamen vel alienatio est valida, quia est suorum Dominus, ideòque, qui bonâ fide accepit, licitè retinere potest, quod *Molina, Nav. Castrop. Less. dub. 19.* etiam extendunt ad eum, qui malâ fide seu conscius impotentia accepit, nisi induxerit, ut daret, quia tunc ajunt, non causat debitoris impotentiam, sed eam ex justa causa propriæ utilitatis permittit. *Econtra Rebel. Vasq. dub. 3. Lugo num. 113.* probabiliùs dicunt, eum teneri ad restitutionem, non quidem ex re accepta, quia factus est rei Dominus, sed ex injusta acceptance, quia acceptando inicit contractum creditoribus damnosum; ergo non tantùm permittit, sed positivè concurrat ad alterius damnum, & quidem non per
actio-

actionem indifferentem, sed necessariò cum damno creditoris conjunctam, idque non pro avertendo damno proprio, sed pro lucro; sicut ergo nemo dicet licere ob lucrum furi accommodare scalam, vel eum juvare ad exurendas ædes alienas, sic nec licebit rem à debitore impotente acceptare cum damno creditorum; & ideò pro tali casu creditoribus in foro externo conceditur actio rescissoria, *L. 1. L. si debitor. L. ult. ff. qua in fraudem*: quâ intrâ annum ab habita facti notitia possint petere rescissionem contractûs in illorum fraudem initi, ità ut res debitori restitui debeat etiam non recepto pretio, nisi pretium adhuc existat, vel in quantum debitor ex eo factus est ditior, hæc tamen actio non datur contra tertium, ad quem res bonâ fide translata est. *Leges cit.*

CASUS XLVII.

De causis à restitutione excusantibus.

Curtius multa debet, ex variis tamen causis putat se à restitutione excusatum. 1. *Quia, si restituat, ipse vel uxor erit in periculo desperationis, furtorum aut extrema necessitatis vel infamia, quamvis creditor sit in necessitate pari.* 2. *Cogetur statum suum dimittere, parcius vivere, vel omnia, quæ habet, restituere.* 3. *Quia restituere non potest sinè gravi damno aut lucro cessante, licèt aequale vel minus etiam patiatur creditor.* 4. *Quia putat se solutionem ex justa causa differre, dubitat, an teneatur ad damna creditori ex dilatione evenientia.* 5. *Quia creditor debitum remis-*
sit

fit putans eum non esse solvendo, vel saltem credit aut dubitat, an remisit, eo quod publice ob furtum fuerit punitus. 6. Quia creditori aliquid donavit immemor debiti, vel simulavit se donare, cum tamen daret animo solvendi. 7. Quia solvit creditoris creditori. 8. Vel impetravit compositionem Papalem. 9. 10. 11. Quia cessit foro jurans se nihil occultasse, cum tamen occultaverit vel exposit acquisierit. 12. Et quamvis posset in seculo manens satisfacere, tamen religionem suam secum portans ingreditur. 13. Prætexens, quod sit in pericula seductionis. 14. 15. Quod debita sint incerta. 16. Vel ex promissione gratuita. 17. Et dubitet, an in seculo notabile quid lucrari possit. 18. 19. Vel saltem diu deberet manere in seculo. 20. Professus proprio labore, donatione, legato & è fructibus beneficii multa acquirit, & tamen nec ipse. 21. Nec Monasterium quidquam creditoribus solvit.

Varia sunt causæ, de quibus dubitari potest, an sufficiant ad justè differendam, vel planè ommittendam solutionem, ut 1. Impotentia. 2. Remissio creditoris. 3. Compensatio, de qua satis dixi Cas. 32. num. 7. 4. Præscriptio, de qua V. Cas. 23. 5. Interitus rei apud bajulum vel confessarium, de quo Cas. 45. n. 17. 6. Incertitudo debiti, de qua Cas. 38. n. 18. 7. Donatio facta creditori vel solutio facta creditoris creditori. 8. Cessio fori. 9. Compositio Papalis. 10. Ingressus in religionem. His examinatis clarebit resolutio casus. Igitur.

QUÆR. I. Qualiter à restitutione excuset impotentia?

R. Impotentia alia est physica, quando quis

K k

nec

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. I.

nec in re nec in spe habet, unde restituere possit; impotentia moralis est, quando quis absolute quidem potest satisfacere, sed non nisi cum animæ, corporis, famæ, libertatis, justitatis aut bonorum temporalium jactura secundum sequentes explicationes.

1. 1. *Probabile periculum animæ* est justa causa differendi & omittendi solutionem, quamdiu periculum durat, ut si debitor ob restitutionem esset lapsurus in desperationem, filii ob inopiam in furta vel latrocinia, uxor vel filia prostituenda. *Scot. in 4. dist. 15. q. 2. Rebell. Nav. Bonac. Less. l. 2. c. 16. dub. 1. Ratio est*, quia creditor non potest esse rationabiliter invitus, ut debitor pro salute animæ suæ aut suorum tanquam bono longè eminentiori restitutionem temporalium differat.

2. *Excusat periculum vitæ*, seu necessitas extrema, quando scilicet debitor factâ restitutione ex defectu alimenti vel medicinæ ordinariæ esset moriturus. *Ratio est*, quia pro avertenda necessitate extrema licet aliena surripere, ergo multò magis retinere seu solutionem differre, nisi creditor ante debitorem in similem necessitatem jam inciderit, vel incasurus sit, nisi debitum restituatur; tunc enim creditor titulo justitiæ & charitatis præferri debet; si verò debitor & creditor actu existant in extrema necessitate vel sint in proximo & æquali periculo necessitatis extremæ, debitor adhuc potest rem creditoris licitè retinere, quia tunc melior est conditio possidentis. *V. Cas. 32. num. 1. ubi num. 6. etiam dixi*, ad quid teneatur, qui rem alienam apud se depositam, furto ablatam aut mutuò acceptam in extrema necessitate consumpsit.

3. Ex-

3. Excusat *jactura libertatis vel fama*, ut si restituere non possis, nisi te ipsam vendendo, vel dando suspicionem gravis & oeculti criminis; si tamen restitutio absque infamia fieri posset per tertium, v. g. Confessarium; aut si res ipsa non posset sine nota restitui, posset verò ejus pretium, ad hoc foret obligatio: deinde infamia debet esse notabilis, hinc homo de furto jam infamatus tenetur restituere, etiamsi de novo veniat in suspicionem furti, quia illud aliquale infamiae augmentum non est tantum, ut innocens propterea re magni momenti privati debeat.

4. Excusat *jactura status justis & honestis*, ut si homo nobilis pro facienda restitutione deberet omnia bona sua vendere, famulos, arma, equos &c. dimittere, civis primarius exercere artem mechanicam, artifex vendere artis suae instrumenta & mendicare; talis potest solutionem differre, vel per partes solvere, etiamsi sit debitor ex delicto. *Scot. Gab. Ang. Palud. Bannes, Salon. Azor. p. 3. l. 4. c. 39. Sylvius 2. 2. q. 62. a. 8.* Ratio est, quia creditor tunc non potest esse rationabiliter invitus, cum debitor sit verè in gravi necessitate, & mutatio status plerumque conjuncta est cum gravi dedecore & infamia debitoris, filiorum ac familiae.

Dixi I. jactura status; nam aliqualis ejus diminutio non excusat, sic debitor omnium consensu, ut solvere possit, tenetur parcius vivere, de splendore apparatus, conviviorum, equorum, famulorum, ludorum &c. remittere, quia haec non sunt ad statum simpliciter necessaria, sed solum ad ejus splendorem & pompam.

& hæc diminuere non tam est necessitatis, quàm modestiæ; unde versantur in pessimo statu, nec absolvi possunt, qui debitis gravati nihil de splendore & luxu remittunt, & quod pejus est, nequidem desuper se in confessionali accusant.

Dixi 2. jactura statûs justî, ut si satrapa vel prætor ad solvenda debita, vel occultas rapinas cogeretur officium suum justè acquisitum vendere, si verò status sit injustus consistens v. g. in sola opulentia per furta, fraudes, usuras acquisita; non est dubium, quin ipse & ejus hæredes teneantur hæc omnia cum jactura statûs, ad quem nullum jus habent, etiam usque ad mendicitatem, in qua antè fuerant, restituere, nisi forsan excuset periculum gravissimæ infamiæ, carceris vel pœnæ publicæ. S. Anton. Scot. Henriq. Nav. Less. Tamb. Laym, c. 2. num. 2. Bonac. d. 1. q. ult. p. 1. idem est, si amissio statûs vel damnum, quod ex restitutione timetur, consistat in sola carentia rei, quam quis restituere debet, tunc enim non dimittet statum suum, sed relinquet alienum. DD. cit. Lug. d. 11. n. 7. ylvius sup.

3. 5. Si debitor ex restitutione pateretur damnum notabiliter majus, quàm pateretur creditor ex dilatione solutionis, justè solutionem differre potest, etiamsi sit debitor ex delicto, modò damnum minus, quod creditor patitur, paratus sit resarcire; idem est, si creditor nullum pateretur damnum, debitor verò ex dilatione posset facere ingens lucrum. *Ratio utriusque est, quia creditor tunc quòad dilationem solutionis non potest esse rationabiliter invitatus &c. Si debitor & creditor sint in æquali necessitate gravi, vel*
in

in periculo æqualis damni, melior est conditio creditoris, & res restitui debet, sive sit debitor ex delicto, sive ex contractu. *Scot. Nav. Salmant. t. 13. de restit. c. 1. Laym. sup. Metzger t. 12. d. 35. a. 1. n. 5. Dicast. d. 10. n. 30. Ratio est, quia creditor habet jus ad solutionem, ergo in pari casu præferri debet.*

6. Præcipua hinc difficultas est, utrùm ille, 4. qui ob gravem suam necessitatem vel periculum notabilis detrimenti justè solutionem differt, teneatur creditori ultra rem debitam solvere damnum lucris cessantis? Respondent plerimi cum *Rebel. Less. Lugo d. 21. n. 16. La Croix l. 3. p. 2. n. 252.* obligari debitorem ex delicto, quia injusta acceptio, quæ præcessit, est causa illius damni: *Diana p. 11. t. 2. R. 14.* requirit, ut damnum illud sit prævisum, aliàs enim non est voluntarium, & non tam prima acceptio, quàm justa dilatio est causa istius damni; econtrà si non sit debitor ex delicto, dicunt non obligari ad damnum ex justa dilatione creditori secutum, putantque aliqui id esse certum, sed immeritò; nam valdè probabile & mihi probabilius est, quòd etiam debitor ex contractu vel re accepta, si pro sua necessitate vel damno avertendo differat restitutionem, teneatur creditori vel Domino rei compensare lucrum cessans & damnum ex dilatione emergens. *Nav. l. 4. c. 4. num. 56. Rebel. l. 2. q. 17. s. 4. Sylvius a. 8. concl. 3. Molin. to. 3. d. 754. num. 3. Laym. num. 2. Metzger. num. 8. Dicast. num. 75. Ratio est, quia creditor non tenetur in dilationem istam consentire, nisi ex charitate, quantum opus est pro avertendo actuali damno vel gravi necessitate proximi; sed*

ad hoc opus non est, ut in dilationem consentiat gratis absque onere resarciendi damnum, quod in ejus gratiam patitur: si enim in extrema necessitate non teneat proximo, qui est solvendo vel alibi habet, concedere rem meam gratis absque onere restituendi, ut cum communissima dixi *Cas. 17. num. 6.* & certum esse dicit ipse *Lugo d. 16. num. 170.* ergo multò minus pro avertendo damno vel necessitate gravi: & certè iniqua esset conditio creditoris, inquit *Laym. l. 6.* si debitor v. g. mutuarius vellet in suum commodum, vel ad præcavendum majus damnum suum solutionem differre, non recipiendo in se onus resarciendi damnum minus, quod obinde creditor patitur, & huc inclinatur *Lugo d. 18. num. 93.* citans *Less.* quamvis enim creditor in tali necessitate non possit esse rationabiliter invitus, quòd debitor retineat & utatur pecuniâ sibi creditori debitâ, meritò tamen est invitus; ut utatur non compensando damnum sibi obveniens; sicut si ad salvandam vitam tuam indigeas equo nœo, non possum esse invitus quòd ad ejus usum, teneris tamen, si sis solvendo, refundere damnum, quod equus vel ego inde passus sum, ut fatentur omnes.

QUÆR. II. Qualiter excuset remissio creditoris?

- §. *R.* Excusat liberè facta ab eo, qui remittere potest, dicitur liberè facta, quia si fiat ex dolo, vi. vel injusto metu, v. g. quia debitor se finxit pauperiorem vel plura damna passum, quàm est, aut simulavit debitum esse incertum, cum tamen sit certum, vel alia falsa allegavit, aut remittatur pars, ne amittatur totum, vel solutio injustè

injustè differatur, tunc remissio est nulla manet-
 que debitor obligatus ad compensandum dam-
 num: res certissimæ veritatis, sed iniquissimæ
 praxeos: si quis prudenter credat Dominum
 nolle sibi debitum restitui vèl liberaliter dona-
 turum, si rogaretur, non tenetur restituere.
Gometz to. 3. t. 5. num. 1. Molin. d. 68. n.
3. Dicast. num. 113. Metzg. a. 5. num 1.
Ratio est. quia tunc adest voluntas Domini pru-
 denter præsumpta, unde infert *Lugo num. 53.*
 furta filiorum, servorum, aliorumque sæpe à
 restitutione excusari, eò quòd pater vel herus,
 si rogaretur, restitutionem libenter remit-
 teret, etsi super facto multum fuerit in-
 dignatus &c. si ex post rescias, Dominum reverà
 fuisse invitum, teneris restituere rem uti certum
 est, non tamen damnum ex dilatione solutionis
 secutum, quia dilatio non fuit culpabilis, ut
 probabiliter docent plures cum *Sporer, Lug.* etsi
 mihi probabilius videatur oppositum, quia licet
 dilatio non sit culpabilis, tamen creditor in
 eam non consensit, nec consentire tenetur, nisi
 eà conditione, ut ei refarcias damnum, quod
 ex tua dilatione patitur, ut latius dixi sup. in
 dubio, an Dominus esset debitum remissurus,
 restituendum est, vel petenda remissio, quia ob-
 ligatio solvendi possidet, à qua per remissionem
 dubiam non liberaris.

Sed quid, si debitor ob furta vel damna cau-
 sata morte plectatur, an hoc ipso illi ejusque hæ-
 redibus censeatur remissa restituendi obligatio?
 R. Nequaquam, si res furtivæ adhuc existant,
 vel ejus hæredes exinde facti sint ditiores, aut
 summa restituenda sit valde gravis, vel denique
 Domini ob ignorantiam aut aliud impedimen-

tum restitutionem petere non possunt; tunc enim præsumi non possunt restitutionem remittere. *Sanch. Less. Vasq. Molin. d. 84* aliud est de damnis secutis ex homicidio; nam homicidâ ad instantiam partis condemnato, si hæredes defuncti non petant restitutionem damnorum, cum facile possint; censentur eam remittere. *Scot. in 4. dist. 15. q. 3. Salon. 2. 2. q. 62. a. 1. Molin. n. 8.*

QUÆR. III. An excusetur; qui inimicorū debiti aliquid donavit creditori?

6. R. I. Affirmant *Diana; Rebellus; Cardenas apud LaCroix num. 452.* qui consentit; si donans ita comparatus fuit, ut non dedisset gratis; si fuisset memor debiti; tunc enim adfuit voluntas interpretativa extinguendi debitum; quæ videtur sufficere; sicut qui ex iustitia tenetur orare Horas; si oravit ex devotione; satisfacisse censetur; quia præsumitur prius voluisse satisfacere obligationi iustitiæ, quam meræ devotioni; sed rectius contradicunt *Salat. Lope 2; Sanch. Less. l. 2. c. 37. num. 11. Laym. l. 3. r. 2. c. 12. num. 9.* Ratio est, quia legi certæ non satisficit per solutionem solùm probabilem & incertam, ut ostendi *Cas. 5. a num. 18.* & inimicorū debiti simpliciter voluit dare gratis, contra quam voluntatem expressam non prævalet voluntas interpretativa; alias vix ulla valeret donatio, quia facile adest causa; quam si scivisset donator, non dedisset: nec tenet paritas de recitatione Horarum, nam obligatio solvendi debitum descendit ex propria hominis voluntate, ideoque debitor facere potest, ut præstita gratis materiâ debitâ, perseveret obligatio; contra obligatio recitandi Horas non est immedie

diatè

diatè ex electione hominis, sed ex præcepto Ecclesie; adeoque homo facere non potest, ut præstita materiâ præceptâ maneat obligatio, idque patet à posteriori; quia præcepto Horatium satisficit; etiamsi quis eas recitet cum animo non satisfaciendi præcepto, sed repetendi, ut habet *communis*; certum autem est non satisfieri debito justitiæ, si scienter aliquid detur cum expresso animo non satisfaciendi, sed donandi gratis. *V. Cas. 6. num. 19.* unde patet te non liberari à debito justitiæ, si Cajo creditori vel ejus filio procurasti officium, nisi consentiat, minus si procurasti beneficium Ecclesiasticum; quia hoc tanquam quid spirituale erga temporale compensari non potest.

R. II. Si exterius quis simulet se dare gratis, internè autem velit extinguere debitum justitiæ, satisficit, ut fatentur omnes: sed quid, si prævideat intuitu donationis sibi aliquid redonandum? R. Id acceptari vel retineri non posse; quia datur ex errore & intuitu gratuita donationis, quæ tamen gratuita non est: excipe nisi forte nec redonatio declinari, nec restitutio ob suspicionem criminis aliâ viâ (quod rarum est) fieri posset.

QUÆR. IV. An excuset solutio facta creditoris creditori? R. *Affirm.* si debitum sit ejusdem rationis, nec alius creditor sit præferendus, aut si debitum tale sit, ut creditor creditoris poterit uti compensatione, *Sylv. V. solutio Medin. 9. 3. Molina t. 3. d. 473. Rebel. Dicast. La Croix num. 453.* quod *Lugo num. 146.* etiam dicit locum habere in foro externo; *Ratio est,* quia solvendo tuo creditori acquiro jus, quod ille habet contra te; sed hoc jus est æquale cum illo

jure, quod contra me habes, ut suppono, ergo illa jura mutuo extinguuntur & compensantur.

8. QUÆR. V. Qualiter excuset compositio cum Papa? R. Compositio papalis est actus, quo Papa majorem partem debiti remittit, ut minor pars ad usum pium impendatur, debita autem, quæ Papa remittit, vel sunt incerta, vel sunt debita ex lege Ecclesiastica, in qua dispensare potest Papa, ut sunt præsentia vel redditus Ecclesiastici a Canonico non præsentem vel non residente percepti; posse autem Papam ejusmodi compositionem concedere, docent *Molin. Less. Dian. Lugo d. 21. à num. 91* quos si lubet, vide. Apud nos Germanos in usu non est.

9. QUÆR. VI. Quid circa cessionem fori? R. 1. Cessio fori, quæ quis omnia bona sua cedit & relinquit inter creditores dividenda, non excusat in conscientia, quominus redeunte meliori fortunâ reliquum solvere teneatur, *communis DD. Ratio est*, quia hoc privilegium fundatur in impotentia debitoris, cessante ergo impotentia cessat ejus effectus seu excusatio à restitutione; per consequens si debitor honesto labore meliorem statum acquirere possit, ad hoc tenetur & compelli potest; qui enim tenetur ad finem, tenetur ad media ordinaria & necessaria.

10. 2. Cedens foro, nisi sit debitor ex delicto, aut sua dilapidando se in istas angustias conjece- rit (huic enim non favere leges docent *Molin. Laym. Sylvius l. c. Metzg. a. 2. n. 3.*) duo in jure habet privilegia, primum, ut liberetur à carcere & vexa creditorum, secundum, ut de bonis expost acquisitis non possit conveniri, nisi in quantum commode solvere potest. *l. 4. 5. 6.*

ff. de

ff. de cess. bon. §. ult. inst. de act. iisdem privilegiis, etsi foro non cedant, gaudent clerici debitis gravati *c. Odoardus de solut.* & personæ, quæ sibi mutuò alimenta debent, ut pater adversus liberos, liberi adversus patrem. *l. 16. § 17. ff. de re jud.* item maritus adversus uxorem repentem dotem *l. 17. cit.* Patronus adversus libertum, socius adversus socium: item milites armatæ militiæ conveniri non possunt, ultra quod salvâ suâ conditione præstare possunt, *l. 6. § 18. eod.* mulieres quoque honestè viventes incarcerari non possunt, per *Auth. hodie Cod. de cust. reor.* quod privilegium *Hann. tr. 2. c. 4. cont. 2. cum communi DD.* extendit ad personas nobiles, illustres, Doctores & Professores, ex *l. medicos 6. c. de prof.*

3. Cedens bonis in conscientia occultare & **II.** sibi reservare potest necessaria alimenta, quibus ipse, uxor & filii ejus secundum statum suum parcè & honestè vivant, idem possunt uxor & liberi mortuo patre debitis gravato, quia his ex bonis paternis jure naturæ debetur honesta sustentatio, & mendicitas seu mutatio statûs incurrenda est causa justa differendi solutionem, idèoque similes debitores in judicio interrogatos jurare posse se nihil occultâsse, ex *Dian. Tamb. docet Sporer num. 98.* subintelligendo nihil non debitum ipsis ex jure naturæ.

QUÆR. VII. Qualiter excuset ingressus in **12.** religionem? **R. 1.** Certum est peccare mortaliter, qui, cum sit solvendo, religionem ingreditur: non solutis debitis, neque factâ sufficiente dispositione ad solvendum; quia obligatio justitiæ prævalet operibus consilii, atqui ingredi religionem est opus consilii, & obligatio solven-

solvendi est ex iustitia; ergo. Secuta tamen professio spectato jure naturæ est valida, quia valida est traditio personæ nemini debitæ, sed personæ, quæ per professionem religioni traditur, in se non est debita, sed tantum ejus bona; ergo. Dixi: *spectato jure natura*; nam Sixt. V. A. 1587. debitores super vires ære alieno gravatos recipi gravissimè prohibuit; eosque ad professionem inhabiles reddidit, quam inhabilitatem relictâ prohibitione exposit sustulit Clem. VIII. quæ tamen prohibitio non ligat Moniales, ut in alio motu proprio declaravit ipse Sixt. V. teste *Lugo d. 21. num. 87.* neque eos, qui non ingenti, sed modico ære alieno gravantur. neque eos, qui etiam in sæculo manentes satisfacere non possent, aut qui absque culpa sua debitis gravantur, etsi spem habeant aliquando solvendi; sed prohibentur soli *decoctores*, ut loquitur decretum, *qui post dilapidatam rem familiarem & contractam vim æris alieni culpabiliter pro nunc facti sunt impotentes, & manentes in sæculo solvere possent, Sanch. Lugo num. 89. Dicast. num. 140. Salmant. t. 13. c. 1. p. 19. §. 2. Ratio est, quia decretum hoc utpote pœnale strictè est interpretandum.*

¶ 3. R. 2. Certum est debitorem obligari ad differendum ingressum, si intra breve tempus spem habeat, ex toto, vel ex magna parte solvendi; qui enim tenetur ad finem, tenetur ad media non nimis difficilia, quale est ad breve tempus differre ingressum, per breve autem tempus communiter DD. intelligunt duos aut tres annos, attentâ debiti quantitate, & majori vel minori spe intra illud tempus notabile quid lucrandi: si tamen ex dilatione immineret grave damnum spirituale,

rituale,

situale, v. g. impedimentum perpetuum ad religionem, aut periculum proximum peccati, statim ingredi posset; si enim debitor existens in periculo incontinentiæ uxorem ducere possit, et si ex hoc prævideat se futurum impotentem ad solvenda debita, ut fatentur omnes, multò magis ad vitandum peccatum poterit eligere religionem.

R. 3. Certum est, quòd bonum illud, quod 14
debitor ex ingressu in religionem sperat, debeat præponderare damno, quod ex ingressu patiuntur creditores; hinc si vellet ingredi religionem laxam, in qua exiguus fructus sperandus, aut ingredi vellet ob commodum, aut motivum temporale, non posset id facere cum præjudicio creditorum. *Lugo n. 70.*

R. 4. Certum est, debitorem religionem sta- 15
tim amplecti posse, si debita sint incerta, vel in usus pios eroganda, quia nihil magis pium, quàm se, & sua Deo in religione dicare, *Arrag. Sa. Sanch.* sed quid si ab alio accepisti bona incerta, ejus nomine in usus pios expendenda, quæ tu iniquè consumpsisti? R. Si es pauper, adhuc potes tibi applicare, & satis piè impenduntur in ordine ad hoc, ut possis religiosus fieri. *Lugo n. 64.*

R. 5. Debitor absque mora religionem ingre- 16
di potest, si debitum sit ex liberali promissione etiam jurata ad hoc vel illud donandum aut faciendum, nisi intra breve tempus absque gravi incommodo id præstari possit, quia in liberali promisso tacitè imbibitur conditio: nisi ad religionem cum præstatione promissi impossibilem transiero. *Suar. Dicast. numer. 134. Sakmant. p. 18.*

17. R. 6. Certum est, debitorem statim religionem ingredi posse, si nulla spes sit, quod manens in sæculo futurus sit solvendo; quia tunc creditores nihil sperare habent, etiamsi à religione abstineat, per consequens ingressus iis præjudicare non potest; si spes solvendi sit dubia, tenetur debitor ingressum aliquamdiu differre & probare, an dilatio proffit.

18. R. 7. Præcipua hinc difficultas est; utrum debitor licitè religionem ingredi possit, cedendo bona sua creditoribus, si spes sit, quod multo, vel toto tempore manens in sæculo integrè solvere possit, negant *Medina, Nav. Valent. Molin. Suar. Laym, l. 3. t. 2. c. 12. Sporer num. 100.* sed probabilius affirmant *S. Th. 2. 2. q. 189. S. Ant. Cajet. Lopetz, Less. Dian. Sanch. sup. num. 17. Lugo num. 65. Haun. t. 2. c. 4. Dicast. d. 10. num. 129. Metzg, q. 3. n. 4.* Ratio est 1. debitor non tenetur solvere cum ingenti difficultate & detrimento in bonis altioris ordinis, quia tunc censetur moraliter impotens, atqui in casu posito debitor pateretur ingentem difficultatem in bonis altioris ordinis, jacturam scilicet propriæ libertatis ad eligendum statum perfectiorem & commodorum spirituum inde resultantium, ergo. Undè patet, quod hic non tantum agatur de lucro cessante, ut malè supponunt advers. sed etiam de actuali damno seu jactura libertatis & juris eligendi statum perfectiorem, 2. Ipsa persona debitoris, ut argumentatur *D. Thom.* non est in se & ratione suâ debita, sed tantum intuitu bonorum, ergo si cedat bonis in favorem creditorum, satisfacit, potestque liberè de sua persona disponere amplectendo statum religiosum. 3. Debita vel sunt

ex contractu vel ex delicto ; si ex contractu , pendent ab intentione contrahentium , atqui intentio contrahentium non fuit se obligare cum jactura libertatis eligendi religionem , sed potius cum tacita conditione , nisi statum perfectiorem cum solutione debiti impossibilem elegero , ut patet in contractu oneroso sponsalium , ergo : si ex delicto , adhuc non tenetur cum longè majori damno seu jactura libertatis & juris eligendi statum religiosum , sicut non tenetur cum jactura famæ. 4. Vocatio ad statum religiosum negligi non potest absque periculo salutis , sed periculum salutis est causa excusans à solutione , ergo. 5. Conjugatus non tenetur abstinere à generatione prolium , etiamsi ex hoc fiat impotens solvere , ergo nec cælebs ab electione statûs religiosi : quæ rationes non tantùm tenent de debito reali , sed etiam de personali , ut si ad decem annos locasti operam tuam pictori , sutori &c. adhuc licitè religionem ingredi potes , nisi specialiter huic juri resignâsses , nec teneris ad damna alteri inde emergentia , sed sufficit reddere pretium conductionis , quod fortè accepisti : hætenus de jure naturæ , quid sit de jure positivo , dixi sup.

Obijciunt 1. Propter opus consilii non est o- 19.
mittendum opus præceptum , sed amplecti statum religiosum est opus consilii , & solvere debitum est jure naturæ præceptum , ergo.

2. Eligens statum religiosum liberè & absque necessitate facit se impotentem ad præstandum id , quod præstare ex jure naturæ debet.

3. Filius non potest ingredi religionem , si in sæculo manens possit subvenire inopiæ parentum , imò ingressus regredi potest , si parentibus aliter
sue

succurri non possit ; quia obligatio iis succurrendi est de jure naturæ ; atqui etiam de jure naturæ est obligatio solvendi debita , ergo.

4. Non sunt facienda mala , ut eveniant bona , nec propter lucrum spirituale licet alteri inferre damnum temporale , alias enim ad habendum meritum eleemosynæ liceret pecunias ex justitia alteri debitas dare pauperibus , atqui hic infertur creditoribus damnum propter bonum spirituale religionis , ergo.

5. Non est licitum surripere aliena ad lucrum spirituale , v. g. pro habenda dote ad ingressum in religionem , ergo nec licitum est non solvere , quia non solvere est continuata surreptio.

6. Non est licitum se addicere servitio pauperum in hospitali , si per hoc impediaris à solvendis debitis , ergo nec ingredi religionem.

7. Qui sub spe matrimonii defloravit virginem , non potest ingredi religionem , quia hic ingressus cederet in damnum defloratæ ; sed ingressus debitoris etiam cedit in damnum creditorum , ergo.

8. Servus non potest ingredi religionem invito Domino , nec maritus post consummatum matrimonium invitâ conjuge , ergo nec debitor invitis creditoribus.

B. *Ad 1. dist. min.* Solvete debita est jure naturæ præceptum absolutè N. sub conditione , si absque majori damno in bonis altioris ordinis fieri possit C.

ad 2. N. supp. Quòd hoc casu ex jure naturæ sit obligatio solvendi.

Ad 3. Vinculum pietatis , utpote fundatum in ipsa naturali origine , est longè arctius quàm obligatio justitiæ , ut patet à posteriori ; nam necessi-

cessi-

cessitas alendi parentes excusat ab obligatione solvendi debitum justitiæ.

Ad 4. N. min. Per ingressum in religionem creditoribus positivè non infertur damnum, sed tantum permittitur ad avertendum majus damnum proprium in bonis altioris ordinis.

Ad 5. N. C. Non solvere tunc ad summum censetur idem, quod furripere, quando quis absque graviore incommodo solvere potest, quod hic non est.

Ad 6. N. C. Quia utilitas hujus servitii facile per alia pia opera, imò per ipsum laborem pro solvendis debitis compensari potest, non ita utilitas & securitas religionis.

Ad 7. N. C. Deflorator se obligavit ad tradendam ipsam personam suam ad matrimonium, & per obtentam sub spe matrimonii copulam tacitè renunciavit statui religioso, & damnificator tenetur restituere in illo genere, in quo læsit, sed deflorator læsit virginem in libertate nubendi, ergo & ipse meritiò privatur libertate eligendi alium statum; econtrà debitor non obligavit immediate suam personam, neque renunciavit statui perfectiori, neque alium læsit in libertate statum eligendi, ergo.

Ad 8. N. C. Servus seu mancipium secundum suam personam est sub jure & proprietate Domini, at non persona debitoris sub jure creditoris: maritus consummando matrimonium renunciavit libertati & privilegio transeundi ad religionem, non item debitor.

§. 8. Debitor jam professus non deobligatur debito, sed tenetur adhuc solvere, quantum potest, ab amicis petendo gratis, exercendo

L 1

cum

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. 1.

cum licentia Superiorum operas statum & personam non dedecentes, vel acceptando beneficium, munera &c. *Molin. Nav. Lugo, Laym. num. 7.* Ratio est, quia status religiosus non aliter excusat à restitutione, nisi in quantum est incompatibilis cum solutione, sed non est incompatibilis, ut restitutio fiat modo dicto, ergo. Non tamen tenetur egredi, aut misceri sæcularibus, hæc enim sunt media extraordinaria & Religiosum indecentia. At nunquid Superior tenetur licentiam operandi dare, sicut Religiosus tenetur eam petere? *R. Negative,* quia Superior nec ex contractu nec ex delicto est creditoribus obligatus, quia, ut suppono, debitorem bonâ fide recepit, & ex traditione Religiosi habet jus fortius in subditum, ejusque operas: si negetur licentia, subditus est liber.

21. *R. 9.* Monasterium, si debitorem malâ fide suscepit sciens illum intra breve tempus in sæculo potuisse & debuisse satisfacere, debet ejus debita solvere etiam ex rebus Monasterii, quia tunc est causa, quod injustè damnificentur creditores; si bonâ fide eum suscepit, adhuc tenetur ex iis, quæ Monasterio intuitu Religiosi ex donatione, legato vel hæreditate obvenerunt, deductis tamen expensis. *Sanch. l. 7. c. 31. Lug. num. 79.* Ratio est, quia ea bona transferunt ad Monasterium cum eo onere, quo ea habuisset Religiosus, si mansisset sui juris.

